



# Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD


This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.



1217 e. 49





Vertical line of text on the right side of the page.



7 D.

# SCRIPTA MONASTICA

N. 10

---

SERIES HISTORICO-HAGIOGRAPHICA

N. II

VEN. LUDOVICI BLOSII


ABBATIS LAETIENSIS O. S. B.

# STATUTA MONASTICA

Nunc primum edidit

D. URSMARUS BERLIÈRE O. S. B.

Monachus ad S. Benedictum de Maredsous



1217

e. 49

# SCRITTI MONASTICI

Edizi dal Monaci Benedettini della Badia di Praglia

Collezione divisa in tre serie :

ASCETICO - MISTICA :: STORICO - AGIOGRAFICA :: LITURGICA

La nostra edizione di " *Scritti Monastici* ", in lingua italiana, ha lo scopo di permettere a tutti del clero e del laicato l'acquisto di opere monastiche.

Perchè esse possano facilmente diffondersi tra i laici e moltiplicarsi nelle biblioteche, negli alunnati, noviziati e chiericati, servendo di lettura spirituale e di testo nelle meditazioni nonchè di fonti per conferenze, per prediche, ritiri e studio, ciascun volume racchiude una sola opera, ed è di formato tascabile, di stampa nitida e di prezzo modico

Affinchè poi riesca interessante, la collezione comprende opere antiche e moderne, straniere e italiane, quasi sempre pubblicate non in sunti, ma integre nella loro veste italiana. Notiamo che quando il testo originale è in lingua latina, esso viene talvolta riprodotto a lato del testo italiano, e talvolta pubblicato a parte.

## PUBBLICATI

1. Don TEOFILO BÉRENGIER — **Quadro Storico del Monachismo Occidentale** (n. I della Serie Storico-Agiografica). L. 4.00
2. Don CLAUDIO MARTIN — **Parafraasi del SUSCIPE ME DOMINE.** (n. I della Serie Ascetico-Mistica). L. 1.60
3. lat. - Sancta GERTRUDIS MAGNA — **Esercitia** (n. II Seriei Ascetico-Mysticae). L. 5.00
3. lat.-ital. - S. GERTRUDE LA GRANDE — **Esercizi** (n. II della Serie Ascetico-Mistica). Introduzione dei Monaci di Praglia, testo latino, traduzione e note del Prof. RODOLFO MEDICI. L. 9.00
4. lat.-ital. - LODOVICO BARBO — **Modo di Pregare e di Meditare** (n. III. della Serie Ascetico-Mistica). Con ritratto del Barbo. Introduzione storica del Can. Prof. ANGELO MARCHESAN. Traduzione italiana a cura del Can. Mons. BERARDI. L. 4.50
5. lat. - IOHANNES CASTELENSIS MONACHUS. — **De Adhaerendo Deo** (n. IV Seriei Ascetico-Mysticae). Tractatus usque adhuc B. Alberto Magno attributus. Haec editio continet VII capitula nondum edita, a Rev.mo Doct. MARTINO GRABMANN inventa. Prooemium et Index fontium cura et studio D. JACOBI HUIJBEN, Congr. Solesmensis O. S. B. Monachi L. 4.50
5. lat.-ital. - GIOVANNI DI CASTEL. — **Dell'Unione a Dio** (n. IV della Serie Ascetico-Mistica). Trattato finora attribuito ad Alberto Magno. La nostra edizione contiene sette capitoli inediti, scoperti da Mons. MARTINO GRABMANN. Introduzione e note del R. P. D. GIACOMO HUIJBEN, della Congreg. Solesmense O. S. B., traduzione del R. Sac. Don GILBERTO DAL SASSO. L. 7.00
6. Don COLOMBA MARMION, Abate di Maredsous (Belgio) — **Spose di Cristo, Conferenze per Monache** (n. V della Serie Ascetico-Mistica). Prefazione e traduzione del R. P. D. ANSELMO TRANFAGLIA, Monaco di Montevergine. L. 2.50
7. LODOVICO BLOSIO, Abate di Liessies — **Lo Specchio del Monaci** (n. VI della Serie Ascetico-Mistica). Introduzione del R. P. D. PIETRO DE PUNIET, della Congregazione Solesmense O. S. B., traduzione del R. Sac. Don GILBERTO DAL SASSO. L. 4.50
8. GIOVANNI TRITEMIO, Abate di Sponheim — **Esortazioni ai Monaci** (n. VII della Serie Ascetico-Mistica). Fascicolo I: Omelie 1-12. Con Introduzione del R. P. Don URSMARO BERLIÈRE, Monaco di Maredsous. Traduzione del R. P. GIOVANNI COVINO, Monaco di Praglia. L. 12.00





# SCRIPTA MONASTICA

N. 10

---

SERIES HISTORICO-HAGIOGRAPHICA

N. II

VEN. LUDOVICI BLOSII

ABBATIS LAETIENSIS O. S. B.

# STATUTA MONASTICA

Nunc primum edidit

D. URSMARUS BERLIÈRE O. S. B.

Monachus ad S. Benedictum de Maredsous





**CASINENSIBUS MONACHIS**  
**RECURRENTE FELICITER DECIMO QUARTO CENTENARIO**  
**A CONDITO PER SS. P. BENEDICTUM ARCHICOENOBIO**  
**HAEC BLOSII NOSTRI STATUTA**  
**IN FRATERNAE VENERATIONIS TESTIMONIUM DICANTUR**



IMPRIMI POTEST

† COELESTINUS ABBAS

*Maredsous die 25 martii 1929*

*Imprimatur*

Patavii, die 27 aprilis 1929

CAN.CUS DOCT. PRIMUS CARMIGNOTO *Vic. Gen.*

## INTRODUCTIO

*Inter viros qui saeculo decimo sexto de re monastica in Belgio optime meriti sunt, principalem facile obtinet locum venerabilis ille Laetiensis abbas, Ludovicus Blossius, cujus opera doctrina vere catholica referta mellifluaque pietate fragrantia per saeculorum decursus nunquam destiterunt animos, eorum imprimis qui ad perfectionem anhelant, erudire, fovere ac consolari. Quantique nostris ipsis diebus piissimi abbatis habeantur libri, praeclare testantur innumerae in variis idiomatibus prolatae editiones pluraque recentiora studia quibus ejus doctrina exposita fuit et commendata, quae cum satis sint cognita, nobis magis Blossius ut benedictinae disciplinae instaurator considerandus videtur.*

### § I. Vita

*Ludovicus, e nobili Blossiorum et Barbansoniorum stirpe, quae tunc inter praecipuas Belgii et Franciae prosapias eminebat, in castello de Dono Stephani (Donstienne) in Hannonia, anno Domini 1506, ineunte mense octobri, ortum duxit. Optima indole donatus et ab infantia quasi natura ipsa ad superna et divina pronus, pietate simul ac aetate crevit. Ex aula archiducis Caroli, qui postea imperator fuit Carolus quintus, postquam gravi periculo fuit ereptus, mundum cum flore despiciens, annum agens decimum quartum, monasterium Laetiense, ordinis Sancti Benedicti, haud procul ab Avesnis in ipso solo patrio, ingressus est,*

---

*nihil aliud appetens quam divino se mancipare obsequio, ut procul a fallacibus saeculi honoribus et deliciis, in claustrum solitudine lateret ardentiusque soli Deo, vero Regi, sub regula monastica militaret.*

*Gratantissime ab abbate Aegidio Gippus exceptus fuit, qui quasi futura praesagens, in generoso adolescentulo spem et omen sui monasterii salutabat. Piusimo cuidam monacho, D. Johanni Meurisse, ad religionis exercitia spiritumque edocenda commendatus, Ludovicus noster se totum orationi, lectioni, silentio dedit, confratresque suos seniores devotione, humilitate, oboedientia, bonestate morum et charitate aedificabat. Tertium post annum, cum novellum monachum abbas litteris ornari cuperet, ad Lovaniensem Universitatem, tunc fama doctrinae celeberrimam illum direxit, linguis sacris profundius erudiendum, ibique apud Nicolaum Clenardum, bonarum artium peritissimum, tantum profecit Ludovicus ut latinam, graecam et hebraicam linguas perfecte didicerit.*

*Pietatem cum scientia pari zelo conjungens, nihil de religiosis exercitiis remittebat. Monachum semper sancte aemulabatur, ita ut eo ipso tempore opusculum S. Johannis Chrysostomi « de comparatione regis et monachi » e graeco prima, ut ipsi videbatur, vice in latinam linguam verterit illudque amico et sodali Johanni de Colembaix prima maii 1527 dedicarit.*

*Hoc ipso anno, cum venerabilis Laetiensis abbas suas regendo monasterio impares esse vires animadverteret, de Ludovico nostro in coadjutorem assumendo cum senioribus melioribusque monachis communicavit, illumque, anno sequenti, unanimi consensu electum, annos viginti duo tantum natum, necdum sacris initiatum, totiusque rei ignarum, coadjutorem publice renuntiavit. Interim studiis Lovanii vacare non desinebat Ludovicus, cum anno 1530 postridie kalendas martias fatis erepto Aegidio abbate Laetias repetere*

coactus est, ubi duodecima mensis julii praelaturae ex more et ritu possessionem accepit, die vero undecima novembris sacerdotio auctus fuit et decima tertia simul cum abbatiali benedictione pastoris onus suscepit, gravissimum quidem tum propter teneram aetatem diutinamque absentiam, cum propter certam, ut videbatur, temporalium et spiritualium rerum inexperientiam.

At novellus abbas, etsi virium suarum mensuram pondus muneris excedere sibi intime persuasum haberet, ex caritate confidens de adjutorio Dei (Reg. c. 68) oneri collum viriliter supposuit animasque ex hac die regendas perfectionisque doctrina imbuendas suscepit. Negotium praecipue juveni praelato facessebat ipse sui monasterii in spiritualibus status. Temporis enim decursu, cum Laetiensis observantia nonnihil e primaeva puritate esset remissa, quidam in monasterium irrepserant usus vel potius abusus, quos monachorum pars major quasi per longam annorum possessionem legitime acquisitos aestimabant. Hanc disciplinae remissionem aegre ferebat Blossius, qui vitam Regulae conformem et ipse ducere intendebat, et « salutem animarum sibi commissarum dissimulare aut parvipendere » (Reg. c. 2) nolebat. Ultro dilapsae disciplinae obviam ire neque aetas neque prudentia suadebat, quippe qui ante omnia animos lucrari cupiebat eosque tum exemplo tum verbo sperabat sensim adducere, ut ipsi de miserrimo suo statu et de meliori suae professionis forma reducenda apprime conscii consuetudines minus Regulae consentaneas ultro dereliquerent professionisque suae perfectionem bono animo appeterent.

Facilius esse novum condere coenobium quam deformatum ad regulam reducere satis declarant historiae monumenta, quod et ipse Blossius, baud sine magno dolore, expertus est. Diu sed frustra laboravit, monuit, corripuit, obsecravit. Nullis repulsis cladi-

*busve fractus, orationi intentius vacabat coramque Deo illas animae lacrymas effundebat quae cordium tandem duritiem emollirent. Hae sunt illae lacrymae, quibus ab ipso conflatum est Speculum Monachorum, quod prudenti sane consilio jam tunc meditabatur et anno 1538 edidit, filiisque S. P. Benedicti, Laetiensibus maxime suis, spectandum proposuit, suo dissimulato nomine et Dacryani, quod latine Lacrymatorem vocat, ad illa tempora peropportune assumpto.* <sup>(1)</sup>

*Paulatim incultum hucusque solum, divinae lectionis imbribus irrigatum, revirescere coepit: vicit Dei gratia, vicit abbatis patientia. Sensim nonnullorum discipulorum animos ad subeundum sanctioris vitae propositum inclinatos ingenti cum gaudio perspexit Blosius, spesque ei effulsit ut aliquando et totus conventus ad meliora reversus unanimi consensu rectam benedictinae observantiae normam acceptaret.*

*Dum meliorem suae domus statum moliebatur pius abbas, bello inter Carolum V Caesarem et Franciscum I, Franciae regem, exorto, armorum metus ita animos invasit ut Laetienses monachi, paucis exceptis, monasterio cedere seque in sua tum Montense tum Athense hospitia recipere crederent. Abbas cum quibusdam monachis qui ei toto corde adbaerebant, Athum profectus est, qua in domo strictiorem inchoavit disciplinae observantiam, quam brevi nonnulli monachi patris sui spiritualis vestigiis inhaerentes ejusque uberima doctrina instructi, laeto susceperunt corde.*

*Faustis his initiis laetior factus, de erigendo Athi novo monasterio, quod a tumultibus bellicis tutius esse videretur quam Laetiense, cogitare coepit Blosius, ita ut, antiquo monasterio in prioratum converso, in quo monachis qui reformationi assentire nollent, secundum antiquas consuetudines conversari liceret, strictior illa in*

<sup>(1)</sup> Vita, c. VII (*Acta Sanctorum*, t. I. Januarii, p. 437).



*novo Atheni conventu servaretur quam jam introduxerat observantia et nudae Regulae conformior.*

*Interea qui Laetiis remanserant monachi, de sui abbatis consilio conscii, verentes ne paulatim ipsorum monasterium propter remissam disciplinam deterioris famae notam incurreret desertumque fieret, Athensi foundationi obstiterunt et ab Imperatore impetrarunt ut Blossius Laetias cum suis reverti cogeretur, aliunde promittentes se, si de inchoatae Athi disciplinae rigore nonnihil remitteret abbas et moderatiorem observantiae normam admitteret, paratos esse ad banc disciplinae formam mores suos componere. Haerebat anceps Blossius, at vir humilis simul et pius, post ferventiores ad Deum preces, audito prudentium virorum consilio, suorum monachorum desideriis assensum praebuit Laetiensesque religiosos de sua in eos paterna benevolentia certiores fecit et Laetias repetiit.*

*Nemini dubitandum est quin Blossius strictiorem quem Athi statuerat vivendi modum libentius fuisset amplexus quam moderatiorem humanae fragilitati adaptatam formam, at vir Dei discretionem illa praefulgens, quam matrem virtutum vocat S. Benedictus, discipulorum commodis potius quam suis propriis consulens, sic omnia temperare studuit ut esset et quod fortes cuperent et infirmi non refugerent (Reg. c. 64). Considerans violenta non durare, in illis praesertim monasteriis quae in congregationem non sunt redacta, illorum consiliis paruit qui mitiorem adhibendam esse censebant disciplinam, quae ab observantia nonnullarum ordinis benedictini congregationum a Sancta Sede approbatarum non discreparet: « satius esse eam vivendi normam proponere cui nemo se subducere posset: cum alioqui rigida et austera vivendi instituta, quando relaxari incipiunt, in dissolutionem non raro convertantur.*

*Hanc Blossio mentem fuisse in suis Statutis condendis nemo prudens dubitare poterit.* (1).

*Priusquam Statuta scriptis mandaret aut suis monachis observanda traderet, Speculum Monachorum, quod sub nomine Dacryani Lovaniis typis excuderat (1538), in aula capitulari quotidie praelegendum curavit, quo in Speculo Laetienses monachi considerare poterant quantum a prisca ordinis disciplina digressi fuerant, quae forent remedia, quae desideranda esset morum commutatio. Sic praeparatis animis cordibusque Dei gratia tactis, ad Statuta nova elaboranda totis nisibus se accinxit Blossius. Statuta illa anno Domini 1539 promulgata, Romamque pro approbatione transmissa, favente praecipue cardinale Francisco de Quiñones († 27 oct. 1540) et procurante D. Servatio a Stratis (2), post sex annorum experientiam, a Paulo III P. M. sexto idus aprilis anno 1545 approbata sunt et confirmata. Quanta cum discretione illa composuerit Blossius, manifeste tum ex paterna exhortatione elucet quam sub fine Statutorum inseruit, in qua suae reformationis principia defendere moderatioremque Laetiensis disciplinae normam commendare studuit, tum ex laudibus quibus ea praeclarissimi hujus temporis viri cumularunt, tum ex ipso facto quod Laetiense monasterium usque ad violentam sub gallicae Revolutionis tumultibus anno 1796 suppressionem optima fama gaudebat.*

*Monachis suis vitae merito et exemplo prae lucebat Blossius, illos sua jugiter erudiens et efformans doctrina, librisque suis vere aureis ad pietatem, ad amorem Dei, ad monasticae perfectionis desiderium excitans, vir vere catholicus, qui contra irrepentes tunc haereses zelo invehatur apostolico. Sicque per triginta et sex annos*

(1) Vita, c. XII p. 439.

(2) Vide Epistolam D. Servatii a Stratis, in appendice.

monasterio praefuit et profuit, ita ut omnes eum maxima prosequerentur veneratione. E synodo Cameracensi (1565) redux, cum operarios obambulando lustraret, forte in tignum quodpiam transversim humi jacens tibiam impulit levique vulnere sauciavit. Inde tamen exarsit febris quae pium abbatem cubiculo inclusit posteaque lecto affixit. Nihil omnino profuere medicorum artes et remedia. Venientem Dominum in omni patientia et spe filiali praestolabatur Blosius, « de adjutorio Dei confidens ». Cumque sentiret dissolutionem sui corporis imminere, kalendis januariis se sacra unctione muniri postulavit, filiosque suos spirituales ad se jussit vocari, quos aegri patris lectulum circumcingentes blande consolabatur, coramque « illam ex Enchiridio parvulorum a se edito morituri hominis protestationem, quam longo usu memoriae mandaverat, clare, devote suaviterque pronuntiavit ». Postea ad monachos quos ad sanctae regulae normam reduxerat et genuinis majorum traditionibus imbuerat, quosque tot ac tam piis allocutionibus, scriptis, exemplis ad benedictinae religionis mentem educarat, supremas direxit admonitiones quasi piissimi patris testamentum, desiderium et adprecationem.

Hanc pientissimi abbatis allocutionem hic duximus inserendam, quippe quae vere ejus mentem, doctrinam, caritatem redolet :

« Carissimi Fratres mei et amici, tam juniores quam seniores, audivistis Protestationem jamjam a me pronuntiatam, quam iterum hic coram Deo et vobis renovo et confirmo. Dei voluntate factum est, sicut nostis, ut diu satis una vitam duceremus; et probe novi, vix pro humana fragilitate fieri potuisse, quin sinistri quidpiam subinde inter nos tanto temporis spatio intervenerit, quod aliquam mutuae offensionis dederit occasionem. Quare sicut jam ante vos obsecravi, sic etiam nunc quanto possum affectu obsecro, ut



*velitis mihi condonare quidquid forte umquam dixi aut feci, quo vel injuriam aliquam, vel molestiam, seu majoribus seu minoribus vestrum intuli. Ego vicissim si quis ex vobis quocumque modo in me peccavit, libentissime et ex sincero corde penitus condono. Et quamquam Dei sit potius quam meum peccata condonare, nihilominus tamen, quantum in me est, simul cum Deo, omnia vobis ex animo condono.*

*Ceterum rectam vivendi viam constanter, obsecro, tenete, et vocationis vestrae memores estote. Puram Dei gloriam in omnibus ubique quaerite, sancto Religionis zelo ferventes. Non vos detineant voluptates hujus saeculi. Videtis quo jam loco constitutus sim: non est quod aliud vobis persuadeatis; huc omnibus aliquando veniendum est. Valentissimi quique vestrum ac robustissimi easdem suo tempore angustias, quas ego nunc patior, sustinere debebunt. Quid tunc, quaeso, prodesset vobis, si, ut sacra Scriptura in Evangelio nos admonet, universum mundum lucrati fuissetis, animae vero vestrae detrimentum fecissetis? Contra autem, si vitam ex virtute duxeritis, si Deum quaesieritis, magnae vobis erit consolationis in extremo illo discrimine constitutis. Decretum mortis est inevitabile. Serius aut citius, sive ad salutem, sive, quod absit, ad damnationem nostram, moriendum est: ex hoc mundo, qui cito transit et perit, nobis tandem migrandum est. Serio igitur perpendite et curate, ut quotidie vos ad mortem salutarem praeparetis, quae felicem vobis in vitam aeternam introitum indubitanter aperiat.*

*Ad me quod attinet, malo, si ita Deo visum est, hac ipsa hora hinc discedere, quam hic diutius commorari, vel eo maxime, quod mundus jam totus in maligno positus sit, et pejora, quantum praevideo, nobis minetur. Quando igitur me Deus hinc evocaverit, estote, quaeso, Fratres mei, quieti ac tractabiles, non autem turbulenti et cervicosi, non dissoluti et disciplinae*

*frenum excutientes. Ambulate suaviter in sancta humilitate et obedientia; vitae tenorem, prout coepistis, honeste prosequentes, et divinum Officium religiose peragentes. Si enim secus faceretis, Deus offenderetur, boni quique scandalizarentur, vobis etiam inureretur infamiae nota. Sint vobis in exemplum aliae congregationes religiosas. Quae enim recte sunt institutae, probe ac prudenter post sui Praelati obitum se gerunt, donec Deus de alio providerit. Scitis quam bona hactenus fuerit vestri apud omnes homines existimatio. Date operam, ne bonum hoc nomen, post mortem meam, perdatis et deleatis.*

*Non quod hujus tantum bonae existimationis gratia vobis in bono sit perseverandum; sed quia dum bonus de vobis odor spargitur, cedit hoc in honorem Dei et sanctae Religionis. Ante omnia date operam, ut in pacis et mutui amoris vinculo simul conversemini, non mordentes invicem aut pungentes, sed omnem vitantes rancorem, invidiam et contentionem. Caritatem inter vos puram habete, non fictam aut fucatam, nec duplicis animi: caritatem, inquam, quae profundas egerit radices, non quae ore solum promatur et lingua. Quando autem de alio vobis Praelato Deus providerit, illi in omnibus, quae rationi consentanea sunt, obediētes estote. Denique satagite vitam vestram sic instituere, ut orationes vestrae mihi auxilio esse possint; maxime ut in recta fide, usque ad extremum vitae spiritum, firmus et stabilis perseverem. Interea spe bona confido, me vos omnes apud Deum in paradisi gaudiis visurum. Ceterum vos omnes Deo commendo. Orate pro me et ite in pace. (1)*

*Obiit Blossius die septima januarii 1566, aetatis anno 59, monasticae vitae 45, praelaturae 35. Exequiarum officium peregit R. mus D. Martinus.*

(1) *Vita*, c. XXVIII, n. 116, p. 454.

*Cuperus, ex abbate Crispiniensi Chalcedonensis episcopus et Cameracensis archiepiscopi suffraganeus, Blossii amicus et admirator. Piissimi abbatis corpus humi depositum fuit ad chori Laetiensis ingressum, ante portam quam vocabant Auream, sub exiguo marmoreo laterculo hac brevissima epygrapha ornato : 1565. Loys de Blois abbé 34, <sup>(1)</sup> quo in loco Blossii exuviae quieverunt, donec anno 1631 monachi medio choro elegans erexerunt e vario marmore sepulchrum, in quod ab Illustrissimo D. Francisco Van der Burgh, Cameracensi archiepiscopo, e priori tumulo ossa illius translata sunt.*

*Sub finem saeculi millesimi septingentesimi suppressum fuit Laetiense monasterium, in quo semper Blossianorum Statutorum viguerat observatio, monasterii-que aedificia solo aequata sunt. Fueruntne Blossiani corporis exuviae profanatae, dispersae, vel clanculo reconditae? Est secretum quod nullus ex superstitionibus monachis revelavit. Laterculus ille marmoreus, sub quo prius jacebat abbatis corpus, muro ecclesiae parochialis Laetiensis ad dextrum chori latus insertus est.*

*Vitam Blossii scripsit quidam ex ordine Sancti Benedicti, Sacrae Theologiae doctor, non tamen Laetiensis monasterii professus, ut ex prologo apparet, illamque in testimonium grati animi erga Blossium, qui Societatem Jesu nascentem benigno foverat patrocinio, edidit Socii Bollandiani in primo Actorum Sanctorum tomo, ad diem VII januarii; postea Antonius Wingbe, quartus a Blossio Laetiensis abbas, in ipsa Operum Blossianorum editione quam Antverpiae anno 1632 dedit, recudi curavit.*

(1) 1565 juxta veterem stylum computatur.



## § II. Statuta

*Statutorum a Bloisio conscriptorum fragmenta quaedam edidit auctor anonymus Vitae ipsius, nempe prologum seu praeconium vitae monasticae (c. 18, p. LXI - LXII), exhortationem quae cuivis postulanti antequam veste monastica induatur praelegenda est (c. 18, p. LXII - LXIII), monitum de lectionibus spiritualibus (c. 16, p. LVIII), animadversiones de religiosorum hortulis (c. 19, p. LXVI), de litibus fugiendis (ib.), denique epilogum seu Statutorum conclusionem (c. 18, p. LXIII - LXV), quae fragmenta frustra quaeruntur in bulla Pauli III approbativa, in qua inserta fuit substantia seu medulla statutorum <sup>(1)</sup>, cum econtra Statuta ipsa triginta duobus capitibus consent.*

*Horum Statutorum nonnulla supersunt apographa.*

*Primum est exemplar bibliothecae monasterii S. Benedicti de Maredsous, quod olim Gandavi in auctione publica apud bibliopolam Vyt emptum fuit. Codex est chartaceus 0,21 × 0,17 cent., 111 foliorum, cui praefigitur titulus: « Regula B. Benedicti compendiarum et statuta monasterii Laetiensis secundum reformationem R. di P. ac D. ni D. Ludovici Bloisii eiusdem monasterii abbatis factam anno Domini 1545 » Transcriptum est anno 1614, ut ter ex codice apparet, nempe fol. 14 in littera initiali B. capitis I, ubi inscribitur: anno 1614; iterum f. 61 in littera initiali N. capitis XXI, ubi legitur: A<sup>o</sup> 1614 jul., itemque f. 89 in littera initiali F. capitis XXXI, ubi legitur: 1614. Nulla nota indicat unde codex proveniat; solum quod super titulum inveniatur signaculum est*

<sup>(1)</sup> Juris publici fecit G. de Blois: *Un bénédictin au XVI<sup>e</sup> siècle*. Paris, 1875, pp. 297 - 327.

*N. 24. Compactus fuit saec. XIX mediante cum inscriptione in dorso: Regula S. Benedicti compendialia (sic), et infra: Manuscript..*

*In eo continetur a) Regula Sancti Benedicti compendiarum (ff. 1 - 13<sup>v</sup>), 23 capitibus constans, nempe Prologo, c. 2 qualis debeat esse abbas, c. 3 de instrumentis bonorum operum, c. 4 de obedientia discipulorum, c. 5 de taciturnitate, c. 6 de commendatione humilitatis et 12 ejus gradibus, c. 7 qualiter byemis tempore vigilie agantur, c. 8 qualiter aestatis tempore agatur nocturna laus, c. 9 qualiter dominicis diebus vigilie agantur, c. 10 quomodo matutinarum solennitas agatur, c. 11 qualiter privatis diebus matutini agantur, c. 12 qualiter in natalitiis sanctorum agantur vigilie, c. 13 quibus temporibus dicatur Alleluia, c. 14 quot psalmi per horas diei canendi sint, c. 15 quo ordine ipsi psalmi divinis horis dicendi sunt, c. 16 de disciplina psallendi, c. 17 de reverentia orationis, c. 18, sine titulo, est pars capituli 33 Regulae: si quid debeant monachi proprium habere, c. 19 an aequaliter debeant omnes necessaria accipere, c. 20 si fratri impossibilia injungantur, c. 21 ut obedientes sint sibi invicem fratres, c. 22 quod in monasterio non praesumat alter alterum defendere, c. 23 de bono zelo quem debent habere monachi.*

*b) Liber Statutorum monasterii Laetiensis capitibus 32 constans (ff. 14 - 94).*

*c) Bulla summi pontificis Pauli tertii continens confirmationem modi vivendi sive Statutorum et quorundam privilegiorum manasterii Letiensis (ff. 95-109).*

*d) Epistola D. Servatii a Stratis ad D. Ludovicum Blosium directa (ff. 110 - 111<sup>v</sup>).*

*Hoc in apographo passim delineatae sunt in margine figurae, v. g. florum (f. 1 quater, f. 2<sup>v</sup>, f. 4, f. 5, f. 6), cranium mortui cui supra inscribitur:*



*cogita mori cogita, et infra: respice finem* (f. 6), stemma nominis Jesu radiis circumdatum (f. 9).

Alterum apographum exhibet Codex Valencenensis 280, finitus 14 junii 1634, chartaceus,  $0,153 \times 0,10$  cent., in pergamena ligatus, qui continet a) librum Statutorum monasterii Laetiensis (ff. 1 - 77); b) bullam Pauli III (f. 78 sqq), cui annectitur epistola Servatii a Stratis, sed unde proveniat iste codex nullibi indicatur (Catal. gén. des manuscrits des bibl. publ. de France. Départements, t. XXV, p. 320, n. 290).

Tertium exhibet Codex Remensis (G. 598), olim monasterii S. Nicasii Remensis, Congregationis S. Mauri, (1670), et quidem ad usum prioris D. Marlot, scriptus saeculo XVII<sup>o</sup>, chartaceus, foliorum 102,  $0.225 \times 0.170$  cent., compactus, in quo continetur liber statutorum (f. 2) et bulla Pauli III (f. 83<sup>v</sup>) (Catal. gén. Départements, t. XXXIX, p. 132). Hujus textum cum codice S. Benedicti de Maredsous libentissime recognovit confrater noster, R. P. D. Theodericus Réjalot, cui gratias ago optimas.

Alia olim extabant apographa, inter quae recensendum est exemplar ab ipso Blossio Romam transmissum, de quo in epistola Servatii a Stratis quaestio est. Utrum adhuc nunc Romae alicubi servetur me fugit. Alterum olim a quodam monacho Laetiensi saeculo XVIII<sup>o</sup> scriptum servabatur Laetis apud dominum Lhomme, quod ipse vidi, illoque usus est Rev. D. Peter in suo libro: L'abbaye de Liessies; post obitum domini Lhomme codex iste alio migravit.

Erronee, quasi Statuta Blossiana continens, indicatur codex 542 Bibliothecae publicae Duacenaе, qui nihil aliud exhibet quam Bullam Pauli III, epistolam Servatii a Stratis, ac Particulares monasterii Laetiensis consuetudines (ff. 14 - 23), in cujus fine subscribit

*frater Jac. Fro. Anno Domini 1547* <sup>(1)</sup>, quod ad *Jacobum Froyum, monachum Laetiensem, postea Hannonensem abbatem, referendum videtur* <sup>(2)</sup>.

*Item in Archivio publico Insulano (Archives départementales) servantur sub N. 9, H - 51 Statuta, ut putabatur, Blossiana, quae reapse nihil aliud sunt quam apographa quaedam bullae Pauli III.*

*Statutorum Blossianorum famam brevi tempore diffusam fuisse testatur historiographus monasterii Sancti Dionysii in Brokeroia juxta Montes in Hannonia, cum narrat quomodo Cameracensis archiepiscopus, loci ordinarius, ipso Blossio superstite, ea in hoc monasterium introducere proposuerit* <sup>(3)</sup>. *Itidem, anno millesimo sexcentesimo decimo octavo, monachi quidam Sancti Huberti in Ardenna, qui Lotbaringicae reformationi ab abbate Nicolao Fanson introducendae obstabant, observantiam Laetiensem vel Bursfeldensem proponebant* <sup>(4)</sup>, *sicuti monachi Sancti Gisleni in Hannonia Laetiensem praeferabant* <sup>(5)</sup>. *Solum, ut opinor, monasterium S. Gerardi Broniense Statuta Blossiana, favente episcopo Namurcensi, anno 1648 adoptavit,*

<sup>(1)</sup> Quae benigne mecum communicavit Rev. D. Mauritius David, professor in collegio S. Johannis Duaci.

<sup>(2)</sup> Qui obiit anno 1586 (*Gallia christiana*, t. III, col. 407).

<sup>(3)</sup> G. VINCQ, *Chronicon S. Dionysii in Brokeroia* (DE REIFFENBERG, *Monuments*, t. VII, pp. 574.-575, 578); BERLIÈRE, *Monasticon belge*, t. I, p. 239. - Constitutiones circa divinum officium a D. Andrea de Nivella, monacho ad S. Andream de Castello anno 1482 conscriptae jubente abbate commendatario Henrico de Berghes asservantur in Cod. 168 - 211 Bibliothecae publicae Montensis.

<sup>(4)</sup> BERLIÈRE, *Revue bénédictine*, t. XIII, 1896, p. 264; *Mélanges d'histoire bénédictine*, t. I, p. 131.

<sup>(5)</sup> D. BAUDRY, *Annales de l'abbaye de St. Ghislain* (DE REIFFENBERG, *Monuments*, t. VIII, pp. 91-95); A. PONCELET, *Annales de l'abbaye de Saint-Ghislain* par D. Pierre Baudry et Dom Augustin Durot. Livres X, XI et XII. Mons, 1897, pp. 88 - 93.

*illucque ad juvenes instruendos vocati sunt nonnulli Laetienses monachi qui usque ad annum 1656 ibi remanserunt. Anno 1670 Laetiensi monasterio unitum fuit S. Gerardi monasterium, quae tamen unio die 18 februarii 1675 rescissa fuit <sup>(1)</sup>. Nemo dubitare potest quin Statutorum Blossianorum in istis monasteriis apographa extiterint, sed nullum, quod sciam, superest exemplar.*

*E quibus fontibus ad sua concinnanda Statuta hauserit Blossius nullibi indicatur. Nemini tamen dubium esse potest, quin nonnullas antiquas sui monasterii consuetudines servaverit, quae quidem in Catalogo manuscriptorum codicum Laetiensium apud Sanderum indicantur: « Laetiense ordinarium antiquum, Cerimoniae et Consuetudines », <sup>(2)</sup> quae hucusque reperire non licuit. Itidem Coeremonias et Ordinarium Bursfeldensis Unionis non ignorabat, quae in diversis provinciarum belgicarum monasteriis in usu erant, uti in Sancto Gisleno, quos libros ipsa bibliotheca Laetiensis servabat <sup>(3)</sup> Forsan et ei Constitutiones Congregationis S. Justinae Pataviensis innotuerant, quae jam in lucem prodierant <sup>(4)</sup>. Horum fontium cum textu Blossiano collationi mihi supersedendum visum est, cum ista minuta recognitio a scopo quem intendebam aliena esset eaque facilius post impressam nostram editionem evaderet. Qui in istam operam*

<sup>(1)</sup> BERLIÈRE. *Monasticon belge*, t. I, pp. 36 - 37. - Auctorem Statutorum pro conversis monasterii Maricolensis (Maroilles, juxta Avesnes) liquido constat ex Constitutionibus Laetiensibus hausisse (Archiv. depart. du Nord, Lille; H. 6).

<sup>(2)</sup> SANDERUS, *Bibliotheca Belgica Manuscripta*. Insulis, 1641, P. II, p. 28.

<sup>(3)</sup> *Ib.*, p. 22.

<sup>(4)</sup> In Archivio depart. Insulis in Gallia servantur nonnulla fragmenta Statutorum S. Justinae et Caeremonialis Bursfeldensis (9. H. 51), quae tamen Blossio recentiora videntur.



laborem impenderit, Speculum Monachorum praeterire non poterit, quippe quod mentem *Blosii* et doctrinam asceticam contineat quibus ipsa Statuta imbuuntur. Bulla originalis, quo *Paulus tertius A. D. 1545* statuta *Blosii* approbavit inter documenta archivii *Laetiensis Insulis* conservata non reperitur. Ejusdem tamen extant nonnullae copiae, inter quas nominanda est illa quae in codice manuscripto monasterii *S. Benedicti de Maredsous* (ff. 95 - 109<sup>v</sup>) transcripta fuit. Hanc bullam magna ex parte edidit cl. vir *G. de Blois*, ad calcem sui operis, juxta transcriptum ex originali sumptum, ut testati sunt tam notarius quam feudales comitatus *Hannoniae*. Ibidem enim legitur post datam: "Ita est in litteris originalibus in pergameno scriptis et sigillo plumbeo suspenso, continente effigiem sancti *Petri et Pauli* cum inscriptione ab altera parte: *Paulus papa III<sup>us</sup>*. Teste me notario hac 10<sup>ma</sup> februarii anni millesimi sexcentissimi quinquagesimi sexti. Test. *Herman. not. r.* - Praecedens copia collata cum suo originali in pergameno scripta et sigillata concordat de verbo ad verbum, ut testantur feudales comitatus *Hannoniae*, presente etiam notario supra-scripto hac 10 die februarii 1656. Testes *Petit 1656; Delplancq* ». (1)

Deficiente originali bulla ad *Registra Vaticana* me converti, sperans me in *Schedario clar. viri Garampi* istius bullae adnotationem esse inventurum, at frustra, etsi ex volumine in quo transcripta fuerat plura olim exscripserit cl. vir *Pistolesi*, ut mihi retulit doctissimus *Tabularii Vaticani subpraefectus R. mus D. Petrus Guidi*, qui ad reperiendam istam bullam omnem adhibuit curam, feliciterque illam in *Reg. Vaticano 1640*, reperit, ubi ff. 290 - 309 est transcripta, pro qua humanitate ipsi gratias intimas ago.

(1) *Un benédicte au XVI<sup>e</sup> siècle*, p. 327.


*Haec bulla Statutorum solemniter est approbata, simulque eorum quasi substantiale compendium dignaque quae simul cum statutis juris fiat publici. Textum registri Vaticani cum correctionibus a collatore in margine insertis, quae in textu nostro sunt inserta, ad verbum publicamus. Numeros vero quibus statuta distinguuntur ex editione Georgii de Blois servandos duximus; quod attinet ad variantes lectiones, quas in codicibus Remensi et Valencenensi notavimus, illas paucis exceptis omittendas duximus, quippe quae solum verborum ordinem intervertebant aut pronominum formam mutabant, ut plurimum fit in apographis illis quae diurno et privato novitiorum usui inserviunt.*

*Haec Blossianorum Statutorum editio, ni fallor, tum ad intimiorem ipsius Blossii cognitionem, tum ad benedictinae asceseos notitiam aliquid conferre poterit, quippe quae venerabilis Laetiensis abbatis opusculum olim maxime laudatum et probatum, dein temporis decursu quasi oblitteratum in lucem revocat.*

Dabam in monasterio S. Benedicti de Maredsous


die 1 decembris 1928

D. URSMARUS BERLIÈRE O. S. B.



# LIBER STATUTORUM

MONASTERII LAETIENSIS



---

## CAPUT I.

### COMMENDATIO VITAE MONASTICAE

Beati quibus Jesus interius loquitur dicens: Venite seorsum in desertum locum. Beati, inquam, quos Dominus ex mari magno et spatioso, ex innumeris periculis hujus saeculi ad portum monasticae conversationis transfert, ubi vita vere quieta et segura agitur, ubi tranquillitas, pax et gaudium spiritus abundat, ubi sine cura et occupatione rerum transeuntium homines sancti die noctuque Regi saeculorum libere famulantur; quorum videlicet unica sollicitudo est, ut per invictum obedientiae propositum, per orationum jucundam assiduitatem, per lectionis sacrae melliflua exercitia, per lacrymarum sanctarum dulcia baptismata, ipsi summo Deo placeant.

In congregatione monachorum regulariter viventium omnia plena pietate, omnia plena suavitate. Hic fragrantia omnigenarum virtutum gratiose spirat; hic rosae charitatis igneo rubore flammescunt; hic lilia castitatis niveo candore splendescunt; hic violae humilitatis imis florentes locis, etiam caelos ipsos laetificant. Nusquam hic tumultus, nusquam confusio locum habet; vociferationes et litigia procul [14v] hinc exulant; ubique grata quies et amica solitudo. Hic fortissimi athletae in arena spiritalis conflictus invisibiles hostes quotidie superant et seipsos vincunt. Ad quod nimirum beatum spectaculum angeli promptissime advolantes, Christi milites mirifice con-

fortant, fitque ut ipsi angeli in coelo habitantes cum hominibus in terris et homines in terra degentes cum angelis in coelis mutua familiaritate versentur. Beati itaque sunt qui tempestatibus mundi superatis in tutum amenumque portum sanctae Religionis se recipiunt, ut ibi reliquum vitae suae in servitio Dei cum gaudio transigentes inaeestimabile praemium regni coelestis aliquando percipiant et sine fine laetentur <sup>(1)</sup>.

## CAPUT II.

### QUAE DILIGENTIA ET DISCIPLINA CIRCA DIVINUM OFFICIUM SERVARI DEBEAT

Ante omnia hoc statuendum est, ne aliquid in congregatione praeponatur operi Dei. Ergo statim ubi datum fuerit signum ad officium divinum, fratres ante initium praesentes se exhibere sategant. Si quis rationabiliter retardatus fuerit, ita ut non possit occurrere antequam completus sit versus *Deus in adiutorium meum intende*, non omittat postea id praesidenti significare, declarans causam retardationis, nisi ea sit manifesta, veluti si vel ex licentia, vel ex officio seu obedientia vel ex aegritudine fuerit retardatus. Similiter et ad quamlibet [15] aliam actionem conventualem tempestive occurrant fratres; per actiones conventuales intelligimus commune opus Dei et conventualem lectionem atque refectionem. Non autem intempestive dissimulet praesidens in talibus culpis, sed, sicut videbitur esse necessarium, corripiat aut etiam puniat delinquentes, maxime eos qui

<sup>(1)</sup> Haec adhortatio, ut prima inter Blosii Exhortationes, prelo data fuit in Vita Ven. abbatis c. 18, quasi « dulcissimus ille Statutorum prologus ».

faciunt consuetudinem non occurrendi ante initium operis Dei, quique admoniti non emendantur.

Agatur vero ipsum officium divinum a fratribus cum ingenti reverentia et fideli attentione. Scriptum est enim: *maledictus homo qui facit opus Dei negligenter* (1). In quo opere Dei, praeter interiorum humilitatem, puritatem et devotionem, omnes omni studio etiam exteriorum disciplinae honestatem teneant. Servetur debita maturitas; indecens acceleratio summopere vitetur. Omnia cantentur atque legantur monastice, integre et perfecte; non tamen nimis ponderose vel fastidiose. In Nocturnis et Laudibus officii canonici atque in Officio defunctorum, quamvis aliquanto expeditius propter prolixitatem, quaelibet cantari possint, non tamen confuse, praecipitanter et raptim vel irreligiose cantari debent, sed laudabile medium servandum est. In praecipuis solemnitatibus ipsum opus Dei, maxime opus diurnum, paulo morosius agatur quam aliis diebus. Sub quibuslibet orationibus, quae in silentio conventualiter dicuntur, mora rationabilis servetur. Si qui forte hujusmodi orationes expedite et festinanter complere consueverunt, non tamen propter eos conveniens mora abbrevietur.

Tam is qui praesidet quam hi qui cantores deputati sunt, ad hoc laborent ut debita mensura et debitum moderamen [15v] semper in divinis officiis servetur, quos caeteri auscultare et vocibus sequi debent. Nihil vanam gloriam redolens, nihil rusticum in ipsis fratrum vocibus appareat; non indecens boatus aut mugitus, neque saecularis et levis notularum fractio, sed religiosa et devota melodia audiatur. Omnes pariter quantum fieri potest incipiant; omnes pariter desinant; omnes placide cantare consuescant, exclusa omni indisciplinata vocis austeritate et vitiosa vehementia. Nam cantus impetuosus et honesto moderamine

(1) Jerem. XLVIII, 10: Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter.



carens, magis ad insanos Bacchi cultores quam ad sobrios humilesque Dei famulos spectat. Provideant igitur cantores dum quaelibet incipiunt, ne cantus in progressu nimium elevari debeat, sed et dormitabunda cantus demissio rationabiliter vitetur.

Nullus negligens sit ut nunc aliquot sillabas aut verba proferat, nunc iterum aliquot omittat, nunc rursus aliquid cantet rursusque aliquid praeterat; sed unusquisque, quantum commode potest, in cantu et fideli sacrorum verborum enuntiatione perseveret, nusquam voci suae irrationabiliter et segniter absque necessitate parcens. Non cantet aliquis fratrum in octava notula demissius vel altius quam conventus cantat. Omnium igitur voces ubique sint alacres, strenuae, mites, honestae, concordēs et continuae. Tribus ultimis diebus hebdomadae sanctae, id est a completorio canonico feriae quartae usque ad vesp̄as vigiliae Paschae, officium canonicum celebretur absque notis et cantu praeter [16] Matutinum et Laudes. Tempore interdicti similiter omnia remissius legantur absque cantu, cessetque campanarum pulsus. Post quamlibet finalem partem divini officii in oratorio conventualiter dictam, fratres flexis genibus precabuntur in silentio ad spatium Orationis dominicae et Salutationis angelicae aut circiter, unoquoque gratias agente Deo, veniamque postulante pro negligentis admissis vel aliquid aliud pro sua devotione orante. Per finalem partem intelligimus eam partem post quam nulla alia pars divini officii immediate ibidem subjungitur.

Librorum folia honeste vertantur absque impetu, ruptione, plicatione vel maculatione et claudantur iidem libri absque indecenti vel tumultuoso sonitu, maxime sub officio diurno. Quare si libri sunt grandes et claudi sine tali sonitu nequeunt, non claudantur donec officium divinum sit completum, nisi necessitas aliqua vel causa aliqua rationabilis aliud requirat. Qui inter cantandum mul-

tum perceptibilem errorem admittit, reverenter coram omnibus pavementum seu tabulatum loci, in quo stat, manu pro satisfactione contingat, nisi vel casula aut dalmatica superindutus sit, aut nisi alioquin rationabiliter impediatur. Nam in processione, si inter eundem quis in cantu erraverit, terram non continget, sed inclinabit tantum. Omnis locutio non necessaria, omnis risus gestusque inordinatus extrema sollicitudine in opere Dei caveatur. Quod si res postulaverit ut aliquis alteri aliquid significet aut loquatur, breviter et submisse id fiat. Qui sternutare habent necessitatem, disciplinate sternutare discant. Similiter parce et absque indecenti strepitu [16v] excreare consuescant fratres, ne crapulones potius videantur esse quam monachi. Sputa non projiciantur ad medium seu patentem locum, maxime ea quae sunt inhonestiora. Quod si in pavementum vel tabulatum missa fuerint, mox pede abstergantur et deleantur.

Sonora sedium collisio et in universum omnis tumultuosus atque indecens strepitus, diligenter sub opere Dei vitetur. Inclinationes quae propter reverentiam divinae majestatis institutae sunt cum reverentia fiant. Non inclinent alii profunde, alii vero remisse, sed quilibet mediocriter caput et corpus incurvet. Non resideat aliquis supra sedilia erecta dum inclinandum est, nisi necessitas cogat et superior concedat. In qualibet genuflexione quae fit sub officio divino, fratres qui in superioribus sedilibus loca habent, non indecenter procumbant super sedes inferiores, sed honeste iis innitantur, si inniti volunt, corpus decenti compositione aliquantulum erigentes. Etiam qui loca habent in inferioribus formis, si inferiores formae habentur, non demittant eorum sedilia sub genuflexionibus ut super ea pectore incumbant, sed corpore decenter erecto genuflectant. Non praecipitanter vel nimis festinanter fratres eant per oratorium, sed mature procedant et crebros intempestivosque discursus caveant.

Ante initium operis Dei tempestive omnia disponantur quae praeparanda sunt, ne necesse sit sub officio in illis impediri. Quando ante et post divinum officium oratur in silentio a congregatione, et quando laudatur atque adoratur sancta [17] Trinitas per hunc versum *Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto*, et per ultimum versum cujuslibet hymni, item quando legitur sacrosanctum Evangelium, et quando flexis genibus aliquid cum speciali reverentia cantatur aliquidve adoratur, nullus eat aut redeat per locum, ubi illa fiunt, nisi grandis causa cogat; sed unusquisque quietus in loco suo tunc permaneat et adoret. Si in una chori parte notabiliter major fuerit fratrum numerus quam in altera, transeant aliqui ab ea parte quae abundat ad alteram in qua pauciores sunt. Nullus assistat in servitio Dei divaricatis inhonesteque dispositis pedibus vel manibus, sed tam manus quam pedes honeste conjungantur totumque corpus sub laudabili disciplina contineatur, ne depressum vel in hanc aut illam partem irreverenter inclinatum internam animi compositionem vel segnitiam declarat. Nullus etiam huc atque illuc vultum inepte giret aut aspectum in diversa circumferat, sed unusquisque demissis reverenter oculis persistat, nec propter levem causam deserat illam stabilitatem.

Nullus inconvenientibus actionibus se occupet dum celebratur divinum officium. Quilibet eorum qui in competenti intelligentique aetate constituti sunt, satagat se praebere attentum his quae ibi recitantur. Neque enim leviter peccat, qui negligenter sacra divini officii verba audit, sicut contra plurimum apud Deum meretur qui pie et studiose illa excipit. Sub missa quando nihil cantatur aut recitatur, unusquisque apud se in silentio legat, meditetur aut oret. Nullus chirothecas saeculares aut vittas nocturnales vel hujusmodi aliquid indecens sub opere Dei habeat. Nullus subjectorum conventualium illuc aut alibi ad actiones conventuales,

canem, avem vel simile quid insolitum ex industria et proposito adducat.

Nullus absque necessitate ante finem divini officii egrediatur, et qui ante finem egredi habuerit, post officium mox opportunitate habita, causam egressionis suae indicet superiori, nisi forte propter manifestam causam aut propter officium sibi commissum vel propter infirmitatem necessitatemque naturae egredi habuerit, aut nisi alioqui ex generali speciali licentia egredi possit. Si propter celebrationem missae egredi habet, manum versus praesidentem protendat, et egrediatur, nulla alia petita licentia. Quando finito officio conventus egreditur, omnes religiosae maturitatis et taciturnitatis disciplinam teneant. Omnia in Oratorio semper sint ordinata et composita; omnia culta nitidaeque appareant. Praecipue autem in his quae ad sacrosanctum altaris ministerium spectant, reluceat singularis mundities in vestibus, pallis, mappulis, tersoriolis, linteis, ampullis, candelabris et caeteris similibus. Non tam diu aliquid absque innovatione, lotionem atque purgationem dimittatur, donec sit immundum aut sordidum vel indecenter ruptum, sed tempestive omnia mutantur, abluantur et restaurentur, sacrista id diligenter procurante. Lampas una aut aliud luminare die ac nocte jugiter in Oratorio ardeat, si fieri potest <sup>(1)</sup>.

### CAPUT III.

#### DE DIVERSITATE FESTIVITATUM

Festorum duodecim lectionum aliud dicitur simplex, aliud duplex, aliud medium, aliud summum <sup>(2)</sup>. Et Simplicium aliud de dominica, aliud

<sup>(1)</sup> Multa concordare videntur cum cap. I Ceremoniarum Bursfeldensium.

<sup>(2)</sup> Similis distinctio habetur in Cerimon. Bursfelden, c. 21.

de sanctis; Summorum vero aliud minus, aliud majus dicitur. Feria 2<sup>a</sup> et 3<sup>a</sup> Octavarum Paschae et Pentecostes sortiuntur titulum festorum mediorum, licet non habeant 12 lectiones; feria vero quarta earundem octavarum Paschae et Pentecostes sortiuntur titulum duplicis.

Omnes dies privati infra octavam Sacramenti occurrentes sortiuntur titulum mediorum festorum. Alii dies infra solemnes octavas occurrentes, in quibus officium fit die octava, festivantur sicut simplicia festa, licet non habeant duodecim lectiones.

Etiam ordinaria missa de Beata Maria, quae sabbatis cantatur, festivatur sicut si esset festum simplex. Et in feria quarta Quatuor Temporum ante Nativitatem Domini, item in Vigilia Nativitatis Domini, in Dominica quarta Quadragesimae, in Dominica Palmarum, in feria quinta Coenae dominicae, in Vigilia Paschae atque Pentecostes missae conventuales festivantur, sicut si esset summum minus. In Vigilia Assumptionis Beatae Mariae et Vigilia Omnium Sanctorum missa festivatur, sicut si esset festum medium. Similiter si pridie patroni ecclesiae cantetur missa de Vigilia ipsius solemnitate, ea missa festivabitur sicut missa festi medii solet festivari. In Vigilia Dominicae festivitatis Nativitatis, officium canonicum festivatur in Laudibus et deinceps, sicut si esset duplex. Dominica vero in Palmis ipsum officium canonicum in tertio nocturno et deinceps festivatur sicut si esset summum minus. Potest etiam alias missa cantari festive, licet non sit festum duodecim lectionum.



## CAPUT IV.

DE OFFICIO CANONICO  
ET OFFICIO DEFUNCTORUM ATQUE SEPTEM  
PSALMIS POENITENTIALIBUS

Officium canonicum agatur juxta Regulae dispositiones. Ante vigiliis nocturnales dicitur in silentio Oratio dominica cum Salutatione angelica et addentur haec verba: *Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis.* Ante primam horam canonicam dicitur in silentio Oratio dominica, Salutatio angelica et Symbolum apostolorum. Ante quamlibet horarum canonicarum dicitur in silentio Oratio dominica cum Salutatione angelica.

Post commemorationem Beatae Mariae quae Completorio canonico quotidie subjicitur, dicitur etiam in silentio Oratio dominica cum Salutatione angelica et Symbolo apostolorum.

Officium Defunctorum, quod appellamus Vigiliis Mortuorum, quando dici debet, semper Vesperis canonicis subjicietur, et ipsum aliquando dicetur ex integro, aliquando ex parte tantum. Quando dicetur ex parte, solae Vesperae cum uno nocturno et Laudibus cantabuntur; ipsum appellamus breve Officium defunctorum seu breves Vigiliis. Quando autem dicetur ex integro, tres nocturni Vesperis et tribus nocturnis Laudes immediate subjungentur. Porro cantabitur breve Officium in januario pro abbatibus defunctis; in februario, maio, augusto et octobri [19] pro spiritualibus congregationis totiusque Ordinis fratribus ac sororibus; in martio, junio, septembri et decembri pro benefactoribus; in aprili pro fundatoribus; in julio pro parentibus. Etiam dicetur breve Officium pro mortuo naturali patre vel matre fratris de monasterio.

Et quandocumque ipsum breve Officium dice-

tur non de mense, semper in eo erit idem nocturnus, nempe *Verba mea auribus percipe Domine*. Nam quando idem breve Officium dicetur de mense, ista ratio servabitur: in januariis, aprilis, julio et octobri dicetur nocturnus *Dominus regit me*; in martio, junio, septembri et decembri dicetur nocturnus *Exspectans exspectavi Dominum*. Cantabitur vero integrum Officium Defunctorum in initio novembris pro universis fidelibus defunctis. Similiter dicetur integrum quando aliquis ex fratribus monasterii recenter erit defunctus. Sed et quando-cumque alias abbas jusserit ut vel breve vel integrum Officium pro speciali amico aut benefactore recenter defuncto cantetur, cantabitur.

Et sive breve, sive integrum dicatur, ordinarie die sequenti celebrabitur commemoratio ejus seu eorum pro quibus ipsae Vigiliae dictae fuerunt, id est missa pro eo seu pro eis cantabitur. Quare talis dies ad cantandas Vigilias eligatur ut die sequenti Missa defunctorialis commode celebrari possit, quamquam necessitate aut causa aliqua rationabili exigente poterunt eodem die dici Vigiliae et Missa, etiam si Officium defunctorum dicatur specialiter pro uno defuncto. Ubique tamen ad finem psalmodiarum et canticorum dicatur plurali numero *Requiem aeternam dona eis Domine*, et in conclusione Officii *Requiescant [19v] in pace*. Pro defuncto fratre vel sorore fratris de monasterio cantabitur una missa.

Sciendum quod post mortem fratris de monasterio, sive sit abbas, sive alius, continuis triginta diebus mox post primam canonicam vel post commemorationem Dei genitricis, quae completorio regulari subjicitur, legetur quotidie flexis genibus pro eo psalmus *De Profundis* cum versu *Requiem aeternam dona ei* et cum Oratione Dominica atque collecta *Inclina*. Etiam triginta diebus missa privata pro eo celebrabitur; illos triginta dies quibus pro recenter defuncto praedicta defunctorialis supplicatio legitur et quibus privata illa missa celebratur appellamus tricenarium. Si tricenario

hujus fratris defuncti nondum completo, moriatur adhuc unus et plures, non fiet pro quolibet eorum disjuncta supplicatio neque celebrabitur pro quolibet eorum distincta privata missa quandiu tricenarium unius continget tricenarium alterius, sed tunc fiet quotidie pro eis unica dumtaxat supplicatio et celebrabitur una missa, atque ad finem psalmi *De Profundis* dicetur pluraliter *Requiem aeternam dona eis*, et in collecta *Inclina* dicetur pluraliter *ut animas famulorum tuorum quas* etc. Verumtamen si tricenarium abbatis defuncti contigerit tricenarium alterius fratris, fiet supplicatio pro abbate post Primam canonicam; post completorium vero fiet supplicatio pro altero. Etiam distincta missa pro abate tunc celebrabitur.

Feria quarta Cinerum et tribus diebus proxime sequentibus, statim post horam canonicam quae feriali missae temperius [20] praemittitur, legetur flexis genibus psalmus *Miserere mei Deus*, cum antiphona *Ne reminiscaris*; Dominica sequenti legetur psalmus *Domine ne in furore*; feria 2<sup>a</sup> psalmus *Beati quorum*; feria 3<sup>a</sup> psalmus *Domine ne in furore*; feria 4<sup>a</sup> psalmus *Miserere mei Deus*; feria 5<sup>a</sup> psalmus *Domine exaudi orationem meam et clamor meus ad te veniat*; feria 6<sup>a</sup> psalmus *De Profundis*; sabbato *Domine exaudi orationem meam, auribus* etc. Atque ita deinceps usque ad Dominicam Palmarum singulis septimanis septem psalmi poenitentiales complebuntur, quotidie unum assumendo, et semper ad finem psalmi adjicietur praedicta antiphona *Ne reminiscaris*.

Etiam diebus Litaniae sive Rogationum legetur psalmus *Miserere mei Deus* cum eadem antiphona. Porro in die Cinerum et deinceps usque ad Dominicam Palmarum, feriis secundis, quartis et sextis, statim post antiphonam *Ne reminiscaris* finitam, cantabitur litania et fiet processio, nisi illis feriis occurrat festum duodecim lectionum: tunc vero ipsa litania et processio omittentur. Diebus Litaniae vero cantabitur litania et ordinabitur processio post antiphonam *Ne reminiscaris*, etiam si tunc



habeantur duodecim lectiones, nisi manifesta necessitas impediatur. Psalmus poenitentialis legatur modeste et non nimis celeriter; similiter et litania cantetur decenter absque irreligiosa festinantia [20v].

## CAPUT V.

### DE IIS QUI PRIVATIM LEGUNT HORAS CANONICAS ET DE OFFICIO PARVARUM HORARUM

Qui habuerint privatim legere horas canonicas eadem ratione eas complebunt sicut complentur in officio conventuali, nisi quod lectiones recitare poterunt breviores. Etiam ipsi qui privatim legunt, omittent lectiones quae in agenda capitulari quotidie recitantur. Si in suis libris non habent propria officia, quae certis quibusdam festivitibus sanctorum in conventu dicuntur, poterunt legere officia ex Communi sanctorum. Quandocumque Officium defunctorum in conventu dici debuerit, de mense aut pro fratre proprii monasterii recenter defuncto, legent Vesperas ipsius Officii defunctorialis in quarum fine, post antiphonam cantici Evangelii, addent ea quae ad finem Laudum ejusdem Officii in conventu recitantur. Verumtamen in initio novembris ante diem Commemorationis animarum legent Vigiliis defunctorum integras, sicut in conventu dicuntur.

Ante completorium, loco lectionis completoria-  
lis, quotidie recitabunt hanc brevem lectionem: *Fratres, sobrii estote et vigilate*, etc. In die Cinerum et deinceps quotidie usque ad Dominicam palmarum post sextam canonicam legent unum psalmum poenitentialium cum antiphona *Ne reminiscaris*, sicut in conventu legitur; litaniam omittere poterunt. In diebus Litaniae sive Rogationum similiter legent psalmum [21] *Miserere mei Deus*, cum antiphona supradicta. Tempore paschali, dum in fine Laudum et Vesperarum dicunt *Benedicamus*

*Domino*, non addent nisi semel *alleluia*, etiamsi in officio conventuali adjungatur binum vel trinum *alleluia*. Quilibet frater in sacris ordinibus constitutus debet officium cum his quae appendent quotidie persolvere, nisi infirmitas vel alia necessitas impediatur.

Debet in super quotidie legere officium parvarum horarum de Beata Virgine Maria, quod quidem officium semper dicitur uniformiter absque aliqua variatione. Ante Nocturnum, ante Primam, ante Tertiam et ante quamlibet aliarum horarum ipsius officii pro oratione silentii legetur semel integra Salutatio angelica. Nocturnus agatur cum tribus lectionibus et tribus responsoriis. Ad tertium responsorium addetur *Gloria Patri* usque ad haec verba: *Sicut erat in principio*. Quo tertio responsorio plane finito, subjungentur versus initiales pro Laudibus. Tam in Nocturno quam in Laudibus, Prima, Tertia atque omnibus aliis horis pro tota psalmodia dicitur unicus et idem psalmus, videlicet *Laudate Dominum omnes gentes*.

Ad finem Laudum et Vesperarum fiet commemoratio de patronis; deinde commemoratio de omnibus sanctis. Post ultimam collectam cujuslibet horae, dicto *Benedicamus Domino*, *Deo gratias*, addetur pro defunctis haec oratio: *Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen*. Ipsum officium horarum singulis diebus persolvere habebit etiam quivis professus, quamvis non sit constitutus in sacris ordinibus. Qui solus absque socio legit horas, loco [21v] *Dominus vobiscum*, potest dicere: *Domine exaudi orationem meam* etc. Porro licet hi qui privatim legunt horas vel quomodolibet privatim orant possint absque genuflectionibus aut inclinationibus exterioribus precari, omnino tamen interioris cordis inclinationes, id est, singularem animi reverentiam, devotionem et attentionem servare debent quantum in ipsis est. Ceterum in conventu ceremoniae exteriores uniformiter ab omnibus magna diligentia observentur.

## CAPUT VI.

## DE CONSECRATIONE SALIS

## ET AQUAE AC SIMILIIUM ET DE PROCESSIONIBUS

Singulis dominicis ante summam missam sal et aqua exorcizetur et consecretur, deinde fiat aspersione ipsius aquae benedictae, sub qua aspersione cantetur antiphona tempori conveniens. Aspersione finita et cantu cessante, subjicietur collecta. Quandocumque aliud occurrerit solemniter benedicendum, id etiam ante summam missam benedicatur, veluti cerei in Purificatione Beatae Mariae, cineres in die Cinerum, rami in Dominica Palmarum, novus ignis, thus et cereus paschalis in Vigilia Paschae, novitius in die professionis suae. Abbas benedictiones corporalium, casularum et aliorum vestimentorum seu ornamentorum ecclesiasticorum facturus, complere poterit eas antequam prandeat, modo habeat stolam supra se. Quicquid autem illorum benedicatur, semper post collectam benedictionalem finitam, aspergatur aqua benedicta.

Processiones praecedant immediate Missam conventualem, si non fuerit incommodum. Quae processiones semper [22] erunt vel solennes vel simplices. Processio solennis habebitur in solemnitatibus summis, majoribus atque minoribus, dummodo impedimentum non interveniat, et in Dominica Palmarum vel quando alias causa rationabilis suaserit. Processio simplex haberi poterit propter quamlibet causam emergentem ac per superioris ordinationem et religiosam voluntatem omnino habebitur simplex processio. Feria quarta Cinerum et Feria sexta sequente ac deinceps feriis secundis, quartis et sextis usque ad hebdomadam sanctam, si modo non occupetur festo duodecim

lectionum; habebitur etiam processio simplex in die Litaniae majoris et diebus Litaniae minoris sive Rogationum, nisi impedimentum obstiterit. Non fiant processiones procul extra monasterium, nisi necessitas cogat.

## CAPUT VII.

### DE MISSIS ET COMMUNIONE

Celebrabitur quotidie una privata missa pro benefactoribus, si necessitas plane evidens non impediatur, praeterquam in die Animarum et diebus tricennarii atque tribus ultimis diebus hebdomadae sanctae, in quibus omittetur privata missa pro benefactoribus. Si placeat superiori et congregationi ut celebretur quotidie privata missa de Beata Maria, celebrabitur, praeterquam in die Animarum et tribus ultimis diebus hebdomadae sanctae, et quaecumque causa aliqua poposcerit vel superior et congregatio pari consensu decreverint ut omittatur. Defuncto quolibet fratre congregationis, sive sit abbas, sive alius, durante tricennio ejus, missa quotidie privatim [22v] pro eo celebrabitur, sicut alibi dictum est. Ultra quod fraternitatis generale obsequium, quilibet sacerdos decies missam pro eodem offeret, si celebrare potest; si non potest celebrare, vel si non est sacerdos, loco praedictarum decem missarum, leget decies trinam Orationem dominicam. Alias quivis frater privatim sacrificans celebret de quo aut pro quo voluerit, nisi aliquae certae missae pro tempore impositae fuerint.

Sciendum autem est quia quaevis missa de tempore, de Dominica, de sancta Maria ac sanctis ad quasvis causas et necessitates per intentionem applicari potest. Exempli gratia, qui missam specialiter pro benefactoribus vivis ac defunctis vel pro

refrigerio defuncti fratris celebrare vult, id efficiet etiam si missa quam celebrat sit de Venerabili sacramento, modo per intentionem ipsum sacrificium specialiter pro talibus vel pro tali offerre proponat. Verumtamen quando missa pro defunctis conventualiter erit dicenda, non aliud officium assumere debebunt quam officium missae defunctorum, quod etiam assumere debebunt, qui privatim celebrant in die Animarum in initio novembris. Praeterea sacerdotes privatim celebrantes poterunt missam ex se non festivam facere festivam atque etiam solemnem pro sua devotione.

Dum celebrare habent missam de sanctis, si officium non habetur suo loco integrum sed requirendum est, poterunt ad evitandam distractionem assumere officium ex Communi sanctorum quod convenire videbitur. Commemorationes quas voluerint et quot voluerint, faciant, non tamen plures quam sex; quia collectae non debent excedere numerum septenarium. Si nullam commemorationem voluerint recitare, nullam recitabunt, praeterquam in privata missa tricenarii, in qua semper facient [23] commemorationem de eo pro quo celebrant per collectam *Inclina*, si ipsa collecta *Inclina* non est principalis collecta missae quam legunt. Etiam eidem missae tricenarii adjungetur collecta commemorationis pro benefactoribus. Sabbathis Quatuor Temporum, in quibus plures lectiones et collectae ad missam ascriptae sunt, poterunt tantum primam collectam legere, caeteris collectis et lectionibus ac hymno trium puerorum *Benedictus es Domine*, quae epistolam seu principalem lectionem missae praecedunt, omissis. Quod dum faciunt, pronuntiabunt *Dominus vobiscum* ante ipsam primam collectam. Etiam poterunt in simplicioribus missis sequentiam sive prosam habentibus omittere sequentiam, si voluerint omittere. Ad haec extrema missarum verba *Benedicamus Domino, Ite Missa est*, tempore paschali non adident nisi semel *Alleluia*, etiam si missis conventualibus saepius quam semel adjungatur.



Ipsi iidem qui privatim celebrare habent, tempestive et opportune accedant ad altare, ne interim dum conventualiter agitur divinum officium, occupari in privata missa debeant, nisi forte ex officio, vel ex aliqua alia necessitate, seu ex ordinatione superioris quis retardatus fuerit. Abbas quando vult celebret. Caveat tam abbas quam conventus ne in missis aut aliis officiis nova onera perpetua vel etiam multorum annorum temere admittant, quia talibus cetera exercitia spiritualia tandem impedirentur. Numquam conventus aut aliquis fratrum irreligiose paciscatur cum aliquo de mercede pro missa vel alia parte Operis Dei dicenda. Si tamen hi pro quibus oratur aliquid obtulerint, poterit a conventu suscipi. Nullus sacerdotum in monasterio [23v] constitutus ultra tres dies continuos a celebratione absteineat absque superioris scitu et permissione, nisi forte infirmitate manifesta detineatur. Sed nec uno quidem die aliquis sacerdos in monasterio a celebratione cessare debet absque causa rationabili.

Novitii et fratres non constituti in ordinibus sacris communicent in solemnitatibus summis, majoribus et minoribus, in prima dominica Adventus, in prima et quarta dominica Quadragesimae, et in tribus ultimis diebus hebdomadae sanctae, nisi propter eorum aetatem minus congruam aut propter aliam causam rationabilem superior aliter ordinaverit. Qui in ordine quidem diaconatus vel subdiaconatus, non tamen in gradu sacerdotali sunt constituti, etiam ultra dies praedictos singulis dominicis totius anni communicent, nisi ex legitima causa vel superioris permissione abstinere conveniat. Quantum commode fieri potest, fratres qui communicare habent, communicent sub missa conventuali, si infirmitas vel alia causa rationabilis non impediatur. Famuli conventuales sub aliqua privata missa ordinarie communicabunt. Quilibet communicans non hauriat cum adoratione vinum, quod post sumptum sacramentum bibit, quando nihil aliud est quam vinum.

Qui fragilitatem nocturnae pollutionis passus est, non propterea continuo cogitur eo die a celebratione vel communione cessare, maxime si ex animo displicet hujusmodi passio: aut si ipse qui eam sustinuit sentit in se aliquod pium desiderium communicandi, vel si alioqui talis dies est, in quo sine scandalo a communione cessare non possit, quod si quis data opera per crapulam aut per morosam mortalemque rei veneriae cogitationem vel quibuscumque aliis modis illam [24] voluntarie procurasset, omnino deberet abstinere a communione, nisi priusquam se somno traderet et pollutionem pateretur jam poenitisset hujusmodi causarum mortalium. Antiqui patres nostri in hoc scrupulosiores fuerunt propter reverentiam Ven. Sacramenti. Deus etiam in electis vasis suis et militibus strenue adversus hostes vigilantibus, plerumque permittit hujusmodi miseriam accidere, ut magis humilientur. Ergo qui talem fragilitatem passus fuerit, humiliet se coram Domino, et de ejus adjutorio pie praesumens ad sacrosancti mysterii perceptionem per puram confessionem atque alia sancta exercitia se praeparet.

Convenit juxta communem consuetudinem ut quilibet constitutus in ordinibus sacris compleat Primam canonicam antequam celebret, et etiam antequam communicet, si infirmitas non impedit. In Nativitate Domini ubique antequam Prima canonica dicatur, potest fieri missarum celebratio. Preterea, naturali jejunio jejunus a media nocte debet esse sacerdos celebrans, et quivis communicans, nisi quod hi qui gravius infirmantur etiam non jejuni communicare possunt ne absque communione moriantur. Si ex refectione ante noctis medium percepta, reliquiae forte in ore remaneant et deglutiantur ignoranter, non impediunt celebrationem vel communionem. Sic, si quis interim dum os abluit aut aliquid aliud agit, paucillum humoris extrinsecus praeter voluntatem glutierit, non impeditur propterea a celebratione vel communione, maxime si non est majusculata quantitas hujusmodi

humoris externi, reputatur enim tanquam saliva seu internus humor. Etiam diaconus et subdiaconus ministraturi ad altare non jentent ante ipsum [24v] ministerium, si commode fieri possit.

In calicem non nisi parum vini mittatur, aquae non nisi guttula infundatur. Si sacerdos, antequam consecret sanguinem, recordetur se non adhibuisse aquam, adhibeat statim et commixtionem faciat. Si vero post consecrationem sanguinis recordetur se non adhibuisse aquam, non adhibeat: sed sacrificium absque aqua perficiat, culpam tamen suam confiteri non omittat. Non assumet sacerdos ad ipsum missae sacrificium pro vino acetum vel vinum plane corruptum, quod vini speciem non habet. Si liquor est ei suspectus, fundat in manum, terat et olfaciat, vel etiam jubeat ministro ut probet. Assumatur vinum naturale; consulimus autem rubrum potius quam candidum, quamdiu in monasterio commode haberi potest. Hostia etiam assumatur integra et pura, id est talis quae fracturam vel maculam multum notabilem non habeat. Diaconus non debet tangere digitis Eucharistiam, nisi in necessitate, veluti si propter absentiam sacerdotis communicare deberet infirmum, vel si sacerdos praesens et non valens id per se complere ei jubeat.

Qui in sacris ordinibus constituti non sunt, non tangant digitis ipsam Eucharistiam, nisi collaberetur in terram, sed nec calicem, patenam aut corporale tales ex industria contingant, nisi necessitas exposcat. Post secretam dictam, sacerdos non misceat sermones cum aliquo absque necessitate; sed nec prius loquatur nisi causa rationabilis requirat. Si post consecrationem inceptam vel completam contingat sacerdotem [25] mori vel tali infirmitate corripri ut sacrificium perficere nequeat, alter sacerdos complebit ipsum sacrificium, incipietque ab illo loco in quo mortuus aut infirmus cessavit. Si autem ante consecrationem ea necessitas adveniat, juxta patrum sententiam, non erit necesse ut per alium sacerdotem compleatur illa missa. Si celebrans consecrando hostiam



deficiat, priusquam omnia verba consecrationis hostiae sint prolata, is qui complet incipiat ab hoc loco *qui pridie quam pateretur*. Similiter si celebrans consecrando vinum deficiat, antequam omnia verba consecrationis sanguinis sint prolata, incipiet ab hoc loco: *Simili modo postquam coenatum est*. A quo etiam loco incipiet si alter deficit inter consecrationem hostiae completam et consecrationem sanguinis non incoeptam.

Si ille qui deficit indicare potest ubi cessaverit, indicet; si vero hoc indicare non potest, is qui complere habet sacrificium incipiet ubi ille deficiens per relationem ministri aut per manifesta signa creditur cessasse. Si prorsus ignoratur ubi dimiserit et dubium esse potest utrum consecratio corporis et sanguinis facta fuerit, is qui complere habet, consecrationem repetat et omnia ex ordine perficiat, intendens non consecrare, si consecratio facta fuisset. Non debet dici iteratum quod nescitur esse factum. Ille qui inter celebrandum sentit se deficere, innitatur altari vel alibi, super scannum si potest resideat, et si statim sanatus fuerit, pergat in sacrificio ab eo loco in quo cessaverat. Pari modo, si post consecrationem sacerdos propter periculum incendii, aquae aut similibus cogatur ab altari recedere, [25v] assumat secum oblationem, et ubi in loco tuto fuerit, rite omnia super altare perficiat.

Si sacerdos post consecrationem recordatus fuerit se non esse jejunum vel alioqui tale impedimentum incurrisse propter quod celebratio nullo modo ei erat licita, non relinquat ipsum sacrificium imperfectum, sed illud consummet graviter dolens et confiteri proponens. Si ante consecrationem id perceperit sacerdos, non nimis facile procedat in sacrificio, sed potius, causa cogente, dimittat missam incoeptam, exuens vestimenta sacra, nisi grave scandalum immineat. Si post consecrationem inveniatur aranea vel quippiam aliud venenatum aut sordidum in calice, totum effundatur in mundo aliquo vasculo conserveturque cum reliquiis, animali extracto, loto et exusto, quousque species

vini permanserit et ne sacrificium relinquatur imperfectum, sacerdos novum vinum cum aqua in calice mittat atque misceat, iterumque consecrationem repetat ab hoc loco *Simili modo*. Neque enim aliquod abominabile sumi debet occasione hujus sacramenti.

Quod si non est venenatum neque horrendum id quod post consecrationem invenitur in calice, sacerdos caute illud extrahat extractumque seponat, et postea lavet et exurat et cineres juxta altare recondat. Si ante consecrationem aliquid indecens in calice inveniatur, sacerdos illud effundat in scutellam vel in piscinam et terso calice novum sumat faciens iterum commixtionem aquae. Si dum consecrare habet sacerdos, deprehenderit [26] vel hostiam vel vinum deesse, apponat id quod deest et consecret. Si miraculosa aliqua apparitio se exhibuerit sacerdoti in sacramento, veluti si species pueri, carnis aut sanguinis apparuerit, non erit sumendum nisi ad pristinam formam redeat, et sacerdos non censebitur peccare quod non sumat, quia quae miraculose fiunt legibus non subduntur. Sed deberet tunc sacerdos corpus et sanguinem rursus consecrare ac sumere miraculo inter reliquias reposito.

Si sacerdos inter consecrationem et communionem perceperit calicem esse vacuum, aut nonnisi aquam esse in eodem, ipsam aquam effundat in piscinam loci sacri, si ibi praesto est vel in vas seu scutellam emittat, ut postea in piscinam refundi possit; et vino infuso mixtioneque facta, repetat et resumat consecrationem ab hoc loco *Simili modo*, etiamsi illam aquam quam putabat esse vinum hauserit, nihilominus consecrationem rursus faciat consecratumque sumat, licet jam non sit jejunos jejunio naturali. Nam praeceptum, quo Ecclesia jubet sacrificium sub utraque specie perfici, magis obligat, quam illud quo mandat esse jejunos eos qui sacrificant. Ergo quamvis sub specie (hostiae) consecratae sit vere caro et sanguis Christi, id est totus Christus, atque sub specie

vini consecrati totus Christus, quamvis etiam ipsa sacra Eucharistia a non celebrante sumatur sub specie panis duntaxat, a celebrante tamen in missa non debet consecrari neque sumi sub altera tantum specie sed sub utraque paragendum est mysterium. Et qui [26v] contrarium voluntarie praesumeret, scelus gravissimum admitteret.

Si ipse sacerdos recordatur se omisisse offertorium, secretam vel quodlibet aliud simile, praeter verba ad consecrationem spectantia, non habebit necesse reverti ut id quod omissum est resumat, maxime si jam multum est progressus ab eo loco in quo illud dici debuerat; sed confitenda erit negligentia. Si vero probabiliter dubitaverit utrum omnia verba ad formam consecrationis spectantia protulerit (forma autem verborum qua consecratur panis est ista: *Hoc est enim corpus meum*; et forma qua consecratur vinum est ista: *Hic est enim calix sanguinis mei, novi et eterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*); si ergo sacerdos non leviter sed probabiliter dubitaverit utrum verba omnia ad formam consecrationis pertinentia protulerit necne, ipse absque temeraria assertione formam verborum super propriam materiam repetat, intendens non consecrare si consecratio a se prius facta fuit; si autem non fuit facta, intendens consecrare. Quod si omisit solam dictionem *enim* non repetat consecrationis formam quia vere facta fuit consecratio, etiam illa dictione non prolata; verumtamen gravissime peccaret, qui ex proposito eam omitteret.

Sacrificanti non expedit facile dubitationes recipere, ne dolis inimici circumventus superfluisque scrupulis agitatus, libertate cordis perdita varie angatur atque conturbetur. Qui multa legit aut dicit [27] non semper meminit omnium quae dixit. Si tempore consecrationis sacerdos ex fragilitate fuerit mente distractus, ita ut attentionem seu intentionem actualem non habeat, nihilominus consecrat, manente in eo consecrandi intentione

actuali; Summus sacerdos Christus supplet ejus imperfectionem. Si post perceptionem et communionem, hausta jam ablutione, sacerdos invenerit super patenam aut alibi reliquias vel pulveres sacramenti, sumat eas et glutiat antequam reponat calicem. Censetur enim una sumptio totius hostiae et partium ejus. Si aliquid de sanguine dominico in tabulatum seu pavimentum stillaverit, sacerdos sorbeat aut lambat id quod decedit, si commode et absque horrore lambi potest, et ne conculcetur locus stillicidii radatur, atque id quod abrasum fuerit cremetur cineresque recondantur juxta altare.

Si super vestimenta aut lintea altaris ceciderit sanguis Domini, ea quae tincta seu ab ipso sanguine Dominico contacta fuerint, tribus vicibus laventur, calice supposito. Prima secundaque ablutio sumi et bibi poterit, nisi horror impediatur. Tertia in piscinam loci sacri effundetur. Si hostia ante vel post divisionem labatur in calicem, non eam extrahat sacerdos, sed procedat et utrumque simul hauriat. Si hostia consecrata ceciderit in pavimentum, reverenter levetur a sacerdote, et locus in quo jacuit radatur, cineresque juxta altare recondantur. Si hostia consecrata redigatur in putredinem vel in vermes, hujusmodi corruptio (quae non in corpore Dominico, sed in accidentibus sunt), [27v] exuratur cineresque juxta altare recondantur. Quod si partim incorrupta, partim corrupta fuerit hostia consecrata, ea pars quae fuerit incorrupta sumatur ab aliquo in perceptione seu communionem; si absque periculo et horrore commode sumi non potest corrupta hostia, reservetur cum reliquiis quousque species panis permanerit. Idem fiat, si aliquis per vomitum aut tussim hostiam consecratam rejecerit; quia quamdiu permanent species panis, permanet et corpus Christi sub ea.

Si hostia integra aut pars hostiae in altari aut alibi inveniatur, ut probabiliter dubitetur utrum sit consecrata necne, levetur honeste, et suo tem-



pore ah aliquo celebrante sumatur in perceptione, postquam hostiam a se consecratam et sanguinem a se consecratum hauserit. Si hostia consecrata alibi ceciderit, ita ut inveniri non possit, providentiae divinae angelorumque ministerio committatur. Si aliquis exhiberet scienter aut porrigeret hostiam non consecratam pro consecrata gravissimum scelus admitteret: is tamen qui eam adoraret aut susciperet putans esse consecratam non peccaret, sed nec meritum nec fructum devotionis suae perderet. Caeterum is qui aliquam negligentiam admiserit vel cujus culpa acciderit negligentia circa corpus et sanguinem Domini, satisfaciat per congruam poenitentiam juxta superioris seu discreti confessoris consilium. Si sanguis Christi fuerit in calice congelatus, sacerdos anhelitu vel ignis calore illud resolvat. Post sumptionem sacramenti is qui communicavit, non consuescat statim [28] spueret, sed sustineat, donec transierit aliqua mora; quod si sustinere non potest, mittat sputum in locum aliquem ubi a transeuntibus non facile conculcari possit.

Si sacerdoti inter celebrandum acciderit vomitus aut stillicidium sanguinis, is qui ministrat offerat ei vasculum seu scutellam. Si sacerdos missam conventualem cantans sub ipsa missa aegrotaverit, omittetur cantus missae, quam ille perficiet sicut si privatam missam celebraret. Numquam aliquis celebret absque caligis et calceis seu sandaliis. Etiam ad missam conventualem nullus officio diaconi vel subdiaconi fungatur, qui simili modo pedes tectos non habeat.

In ipsa missarum celebratione, quilibet frater sacrificans summopere caveat ne quid praecipitanter aut indecenter agat. Notabilem festinantiam et stupendam tarditatem pari diligentia vitet; verba sacratissima perfecte et cum sincera devotione proferre satagat; sanctas ceremonias mature et honeste perficiat. Oculos, dum se girat, demissos habeat, et totum corporis statum religiose componat. Debet quidem verba missae non mente tantum le-

gere aut cogitare sed etiam ore proferre, quia qui aliquid orat tamquam publicus ecclesiae minister debet orationem pronuntiare, non tamen vocem mimium exaltet; neque rursus ita submisso omnia legat, ut vox ejus poenitus non audiatur, sed modum servet.

Epistolam et evangelium atque ea ad quae minister respondere debet, satis vocaliter pronuntiet, et licet solus minister praesens sit, dicat sacerdos [28] in confessione generali *et vobis fratres*. Item post ablutionem digitorum: *Orate fratres pro me peccatore ad Dominum Deum nostrum*. Nam minister congregationem fidelium repraesentat et alioquin multitudo angelorum adesse creditur. Neque vero in salutatione dicatur *Dominus tecum*, sed *Dominus vobiscum* semper dicatur, licet solus minister adsit. Proferendo verba consecrationis, colligat spiritum et praesens animo esse satagat, intendens vere consecrare corpus Christi et sanguinem. Si plures hostias simul consecrare habet, intentionem suam sic ad eas dirigat, ut omnes quae ibi praesentes sunt intendat simul consecrare. Non sit sollicitus ut singulas per se videat, vel ut sciat quot sint. Sacerdotes ante et post missam orationes atque gratiarum actiones pro sua devotione faciant; nec ad eam psalmodiam vel eas orationes adstricti sint legere quae ad hanc rem praescriptae sunt <sup>(1)</sup>.

<sup>(1)</sup> Instructiones hujusmodi circa defectus in missae celebratione contingentes ante Blossium reperire est in Constitutionibus Willelmi abbatis Hirsaugiensis, P. II, c. 3, ed. Herrgott, p. 478; in Libro Usuum Beccensis monasterii c. 74 (MARTÈNE, *De antiquis monachorum ritibus*. Libr. II, c. VII. Lugduni, 1690, p. 222), in Rituali ejusdem monasterii et in Consuetudinibus B. M. de Lyra (*ib.*, p. 223-225), in Rituali Corbeiensi (*ib.*, pp. 225-228), in Consuetudinibus monasterii S. Augustini Cantuariae (*Customary of the Benedictine Monasteries of St. Augustine Canterbury and St. Peter Westminster*, ed. E. M. Thompson, London, 1902, t. I, pp. 283-290) et in Consuetudinibus monasterii S. Petri Westmonasteriensis, c. XXIII, *ib.*, t. II, 1904, pp. 211-222, etc. etc. Itidem Johannes de Irise, monachus S. Laurentii Leodiensis, qui obiit anno 1444, scripsit tractatulum qui inscribitur: *Cautele circa celebrationem observande*,

## CAPUT VIII.

## DE CONFESSIONE ET ABSOLUTIONE

Nullus sacerdos suscipiat confessiones fratrum in monasterio, nisi a superiore deputatus vel permissus fuerit. Neque enim ad eam rem sufficit potestas ordinis sacerdotalis, sed requiritur etiam potestas jurisdictionis. Quilibet ergo sub abbatis obedientia constitutus in monasterio confiteatur deputatis vel abbati, non autem aliis, absque superioris licentia seu permissione [29]. Extra monasterium cuivis confessori confiteri et suas invicem confessiones suscipere fratres poterunt, etiamsi ab abbate specialiter deputati non fuerint. Si quis eorum aliquando voluerit confiteri abbati, non temere renuat abbas eum audire quando vacat. Caeterum tam ipse abbas quam alii deputati diligenter caveant ne non habita potestate suscipiant alicujus confessionem, quam audire fas non sit absque licentia parochi seu proprii sacerdotis ejus. Si quis volens confiteri asserat se vel habere privilegium eligendi confessorem vel licentiam accepisse a suo parochio, confessor qui eligitur potest ei credere; quod si ille mentitur, fallit se, non sacerdotem. Fratres tamen circa aliquem alienum nihil attentare debent, etiamsi parochus ejus permittat, nisi permittat et superior ipsorum.

In extrema necessitate seu mortis articulo cuilibet sacerdoti concessa est potestas jurisdictionis,

qui in Cod. 21178 Bibl. regiae Bruxellensis, ff. 101-112<sup>v</sup>, asservatur. Alii quoque saeculo decimo quinto de «dubiis in missa occurrentibus» tractarunt, ut Nicolaus de Dickensbühl († 1433), quorum codices manuscripti Mellicii asservantur (M. KROFF, *Bibliotheca Mellicensis*, 1747, p. 172) et Bernardus de Waging, Tegernseensis monachus († 1472), cujus codices Monachii servatos memorat P. Pirmin. Lindner (*Familia S. Quirini in Tegernsee*. Monachii, 1897, pp. 69-70).



ita ut si proprius haberi nequeat, possit tunc confessionem periclitantis suscipere. Porro cum ipsa confessio sacramentalis sit res omnino sublimis, divina et coelestis, nam animam a peccatis purgat et illuminat, gratiam Dei non habitam conciliat, habitam auget, meritisque magnum momentum addit, debet eam praecedere seria et diligens conscientiae examinatio, non tamen nimis anxia vel morosa; talis enim et nauseam confessionis ingerit et conscientiam reddit irrequietam. Fratres in suis ordinariis confessionibus non sint nimium perplexi. Nam cum mortui mundo dicantur, sic vivere debent ut quotidie longiori confessi[29v]oni immorari non habeant. Igitur confessio sit brevis, humilis, aperta et integra. Modeste, honeste, pudice et verecunde in ea culpae commemorentur, ita tantum ut confessor intelligere possit genus et gravitatem delictorum. Non pallientur, neque circumlocutionum ambagibus tegantur peccata, neque conditionaliter, sed nude et simpliciter exprimantur. Non enim convenit sic confiteri, ut si quis subinde dicat haec aut similia: Si peccavi in hoc aut illo vitio cognosco culpam meam. Verumtamen si ipse confitens dubitat utrum peccaverit, exprimat id convenienter.

Non ibi aliorum sed propriae culpae proferantur, nec temere nominetur is qui forte peccati socius fuit; non etiam narrentur ea quae ad rem et propositum nihil prorsus spectant. Nullus vitiose erubescat suos defectus manifestare, etiamsi singulis diebus vel etiam singulis, ut ita dicam, horis in eadem mala ex infirmitate recidat; sed quilibet confortetur in Domino et cum firmo emendationis proposito ingenuè explicet, circumstantias aggravantes diligenter proferens. Nam circumstantiae allevantes omitti solent, nisi in quantum fuerit necesse eas exprimere ad perfectam et veram peccatorum declarationem. Caveat confitens ne suam confessionem in plures confessiones ex proposito dividat, aliqua ex eis quae necessario confitenda sunt proferens coram uno, et aliqua

scienter reticens ex pudore ut ea confiteatur coram altero. Oportet [30] enim ut ipse omnia necessario confitenda quorum neminit confiteatur uni sacerdoti.

Posset autem quis uni eidemque sacerdoti modo partem unam, deinde post aliquod temporis intervallum rursum partem aliam confiteri, veluti si confessore propter negotia supervenientia surgente, aliquamdiu exspectandum sit priusquam incoepta confessio compleatur. Neque enim necesse est ut ipsa confessio sit continua, modo confessor non sit oblitus eorum quae ille antea fuerat confessus. Si quis confessus fuerit alicui sacerdoti non habenti auctoritatem se absolvendi, iterari debet talis confessio. Nam et sententia lata a non proprio iudice nulla est. Sic qui simulatam confessionem facit, aliud sentiens animo quam dicat ore, et habens in corde adhuc peccandi propositum, iterare debet postea talem confessionem, quia absolutionis non erat capax. Quare qui odium servat erga aliquem quod non velit deponere, et qui in aliquo alio peccato permanere intendit, absolutionis non est capax. Et quidem confessor ejus, si agnoscit perversum propositum et malam voluntatem quam corde gerit, non absolvat eum.

Pari modo, qui aliquod suum peccatum quod hactenus non est legitime confessus, ex proposito celat in confessione, recusans illud manifestare confessori, non absolvitur ab illis quae confessus est, sed iterato confiteri debet omnia, quantum potest meminisse, nisi forte poenitentia ductus redeat ad suum confessorem adhuc habentem in recenti memoria peccata sibi confessa. Tunc enim, ut patres asserunt, poterit solummodo confiteri illud peccatum, seu illa peccata quae ante celaverat et suum malum propositum prodere quod habuerat, nisi sint adhuc aliqui similes prioris confessionis defectus, super quibus et super omnibus aliis peccatis prius confessis petet absolutionem. De casibus reservatis postea dicetur.

Licitum est iterare confessionem etiam legitime

factam, si cui hoc facere placet. Sane si aliquis metuit ne aliquod peccatum non sit satis plene confessus, praestiterit illud denuo confiteri exacte quam habere cor dubium et perplexum. Non debent nimis leviter recipi scrupuli et dubitationes, neque ex vana mentis inquietudine debet nimis iterari saepe confessio semel facta. Tales enim superfluae et intempestivae repetitiones reddunt mentem anxiam et tranquillitatem cordis adimunt specialemque profectum multis modis impediunt. Si quis vero confessionem corde libero iteraret, ut majorem declararet coram Domino suam diligentiam utque ipsi Domino magis placeret; aut si quis confessionem generalem pia intentione atque consideratione facere vellet, non esset vituperanda sed laudanda talis devotio. Quantumcumque peccata sint hominibus nota, atque etiam confessori ipsi manifesta, nihilominus confitens commemoret ea in confessione sacramentali.

Ad quam confessionem sacramentalem non sufficit ut peccata per solam exhibitionem scripturae confessori [31] manifestentur, si is qui confitetur habet usum linguae et potestatem sua peccata coram sacerdote proferre, sed voce facienda est confessio. Licitum tamen est cuivis inter confitendum, peccata ex scripto pro firmiori memoria inspicere et legere. Mutus vel is qui a sacerdote intelligi non valet potest modo convenienti per scriptum vel per nutum aut per interpretem confiteri. Qui facit quod in se est, satis facit. Qui communicare vel celebrare habent, non negligent se per sacramentalem confessionem praeparare. Verumtamen dum contingit aliquem vel confitendi opportunitatem vel convenientis confessoris copiam non habere, si alias a mortali noxa se immunem invenit, affectu trahente non prohibetur absque sacramentali confessione cum pia erga Deum fiducia devote celebrare aut communicare.

Frater, qui confiteri habet, imprimis genibus flexis, benedictionem a sacerdote confessionem suam audituro petat, dicens: *Benedicite*. Confes-

sor respondeat *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis, ad vere confitendum peccata tua, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen* Confitens subjiciat: *Amen*. Et ita pronuntiet confessionem generalem quae est: *Confiteor Deo omnipotenti, Beatae Mariae Virgini, beato Benedicto, omnibus [sanctis] et tibi, Pater, quia peccavi nimis mea culpa*. Omittat reliquam ejusdem confessionis generalis partem; dum dicit: *Mea culpa*, pectus leniter simul tundat. Ergo praemissa hoc modo generali confessione, ante omnia accusare [31v] se poterit, quod Dominum Deum non dilexerit sicut debuit diligere. Deinde caetera sigillatim exprimet in quibus se peccasse meminit; parum refert quis ordo in explicandis peccatis servetur, modo omnia debite et integre proferantur. Unusquisque in ea parte pro suo sensu vel intelligentia agere poterit.

Postquam confitens expressit omnia quorum meminit, sic concludat: *Agnosco me reum esse horum peccatorum et omnium aliorum quorum non nemini, vel quae mihi incognita sunt, ideo precor te, ora pro me*. Confessor post haec imprecetur illi divinam misericordiam, dicens: *Misereatur tui omnipotens Deus et per intercessionem Beatae Mariae Virginis atque omnium Sanctorum dimittat tibi omnia peccata tua et perducatur te ad vitam aeternam*. Confitens respondeat: *Amen*. Confessor deinde, si aliqua monenda sunt, moneat. Nam per discursum confessionis non facile debent longae monitionis a confessore fieri, ne confitens illis perculsus atque obrutus mente consternatur et sui propositi obliviscatur. Potest tamen confessor etiam per contextum confessionis discrete interrogare et circumstantias eruere, vel etiam alia necessaria dicere, sed reservet prolixiores admonitiones donec confitens compleverit.

Postea absolutionem impendat proferens cum debita intentione verba ipsius absolutionis sub hac forma: *Dominus noster Jesus Christus te absolvat et ego auctoritate ejus absolvo te a vinculis excommunicationis, si necesse fuerit, et a peccatis*



*tuis. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti.* Confitens respondeat: *Amen*, suscipiens cum [32] humilitate, devotione et fide ipsam absolutionem, non tanquam ab homine, sed ab ipso Deo. Confessor addat: *Passio Domini nostri Jesu Christi, meritum Beatae Mariae Virginis et omnium Sanctorum, humilitas confessionis tuae, obedientia et labor Ordinis, omnia bona quae feceris et adversa quae propter Deum sustinueris cedant tibi in remissionem peccatorum tuorum.* Post haec injungat particularem satisfactionem, quae congrua, portabilis et salutaris sit, dicens in fine: *Residuum poenitentiae tuae maneat in misericordia Dei.*

In quotidianis et parvis negligentis atque defectibus poterit injungere Salutationem angelicam aut Orationem Dominicam aut cum Oratione Dominica Salutationem angelicam aut binam trinamve Salutationem angelicam, vel aliud hujusmodi; magis considerare debet qualitatem confitentis quam gravitatem peccati. Caveat igitur ne talem imponat particularem satisfactionem quam confitens aut non libenter suscipiat aut complere commode non valeat. Infirmo qui graviter aegrotat et aliquam particularem satisfactionem commode complere non valet, nulla erit injungenda particularis satisfactio, sed confessor dumtaxat innotescens poenitentiam quam ipse infirmus, si convalesceret, peragere deberet, dicat: *Poenitentia tua maneat in misericordia Dei.* Si is qui confessus est, viderit satisfactionem sibi impositam talem esse, quam non possit commode complere, indicet hoc humiliter confessori et confessor pro ejus solatio omnino illam mitiget, committens reliquum Domino Deo.

[32v] Quilibet confessorum deputatorum poterit ordinarie quemlibet sub obedientia abbatis constitutum sibi confitentem absolvere sacramentaliter etiam in casibus abbati reservatis. Verumtamen si ipse confessor non habet auctoritatem abbatialem sibi concessam, ita ut in hoc sit tanquam persona abbatis, serio moneat confitentem qui in ali-

quem casum reservatum incidit ut ubi commode potuerit non negligat eundem casum confiteri etiam superiori vel per se seu per alium reddere eum contentum super illo, nisi jam hoc fecerit. Sunt autem septem ordinarii casus hoc modo reservati abbati, videlicet conspiratio, violenta manuum injectio, proprietas, injusta rei alicujus ablatio, lapsus carnis, apostasia, localis transgressio. Conspiratio est, quando quis consilio aut opere quomodolibet per se seu per alium malevole procuravit grandem direptionem vel vastationem rerum alienarum seu communium, aut gravem oppressionem, destructionem, laesionem, mutilationem corporis alicujus. Violenta manuum injectio quando quis propria praesumptione aliquem enormiter percussit, laesit aut vulneravit.

Proprietas est quando aliquid monachus possidere nititur tanquam proprium, aut aliquid scienter retinet seu retinere intendit contra permissionem et voluntatem superioris sui; vel a superiore aliquid occultare proponit. Item quando quis aliquid dedit aut alienavit, sciens verisimiliter se facere contra permissionem [33] et voluntatem ipsius superioris, et non est paratus statim opportunitate habita illud superiori manifestare. Injusta rei ablatio est, quando quis rem alienam, et rem usibus alicujus fratris deputatam aut rem communitatis vel ecclesiae abstulit aut usurpavit invito domino rei, aut eo invito cujus dispensationi vel cujus usibus res deputata est. Si quis accipiat rem modicam, non habens intentionem furandi vel inferendi alteri damnum, imo probabiliter existimans se non facere contra voluntatem domini rei, aut ejus cujus dispensationi, vel cujus usibus res est deputata, nullo pacto reputabitur ex hoc incurrisse reservatum casum injustae ablationis. Item si aliquis fratrum ex consensu superioris accipiat et retineat de rebus deputatis ad usus alicujus fratris, nullo pacto judicabitur abstulisse injuste, etiam si frater ille ad cujus usus res deputatae fuerant non consentiat.

Lapsus carnis est fornicatio opere completa, adulterium ac membrorum genitalium libidinosus attactus multum enormis in se vel in alio. Apostasia apud nos est, non solum si quis fidei catholicae renuntiaverit, aut haeretica pravitate infectus dogmata perversa deserere noluerit, sed et si quis scandalose deposito habitu monastico vel saeculari habitu induto alibi processerit in dedecus religionis. Localis transgressio est, quando quis animo deliberato ex se egredi extra septa monasterii praesumpsit, cum bene sciret sibi non esse a superiore concessum sic exire. Peccata ante investitionem admissa, etiamsi sint ex [33v] casibus abbati reservatis, non habentur pro casibus reservatis. Sciendum autem quod quilibet confessorum poterit confitentem nonnunquam remittere tam in casibus reservatis quam in aliis ad superiorem, ut ab eo absolvatur, si viderit rem hoc exigere.

Porro abbas, si judicaverit pro salute animarum expedire interdum cuilibet confessori concedere abbatialem auctoritatem, ita ut qui tali confessori fuerit confessus casum reservatum et ab eo absolutionem receperit, non habeat necesse illum confiteri abbati, neque de eo quicquam cum abbate tractare, si abbas ultra viginti dies continuos a monasterio abfuerit. Deinceps durante ejus absentia, prior habebit hujusmodi auctoritatem abbatialem. Sic et quando monasterium abbate suo orbatum vacaverit, ipse prior habebit auctoritatem abbatialem, quousque novus pastor confirmatus possessionem realem acceperit. In extrema necessitate seu mortis articulo conceditur cuilibet sacerdoti praedicta abbatialis auctoritas. Summa diligentia caveat is, qui alterius sacramentalem confessionem audivit, ne verbo vel signo aut quovis alio modo prodat eum qui confessus est. Non solum autem confessor sed et si quis praeter confessorem audiverit alterum confitentem, tenetur servare confessionem tacitam.

Peccatum quod sub sigillo confessionis sacramentalis confessori aperitur, debet haberi et te-



neri usque adeo secretum, ut si ipse confessor interrogetur de illo, possit [34] libere juramentum contestari se illud nescire, quia quod scit, non tanquam homo sed tanquam Deus seu loco Dei scit, ob idque quod scit nescit. Igitur, sicut dictum est, caveat summopere ne confitentem prodatur. Nihil coram aliis proferat aut dicat unde ille possit in suspicionem venire aut aliquod detrimentum sustinere, nec unquam improperare ei audeat peccata sibi per solam confessionem cognita. Qui contrarium fecerit, sciat se gravi conscientiae reatu teneri. Etiam confitens non referat aliquid post confessionem, quod cedere possit in infamiam confessoris. Si quis per solam confessionem didicerit confitentis malam voluntatem, qua alicui seu aliquibus nocere proponit, impediatur quantum commode potest, monendo alios ut vigilent periculumque denunciando: non tamen indicet verbo vel signo personam confitentis se tale habere propositum.

Caeterum qui aliter quam per confessionem aliquid cognoscit, potest cum discretione et prudentia de eo tractare, dum res exigit, etiamsi in confessione quoque idipsum acceperit, servando tantum semper cognitionem confessionis secretam. Nam confessio sigillat peccata, non secundum notitiam qua extra confessionem fuerunt cognita, sed tantum secundum notitiam qua fuerunt in confessione accepta. Si alicui aliquid sub sigillo secreti commissum est et promisit se celaturum, videt tamen postea multa mala ex celatione imminere, quae per detectionem prohiberi possent, debet secretum revelare ei qui potest prodesse et non obesse.

Sacramentum poenitentiae quod proprie consistit in absolu[34v]tione sacerdotali et caetera omnia sacramenta, sicut institutionem, ita etiam efficaciam suam habent a Deo omnipotente, per meritum passionis mortisque Christi. Quare nullus debet multum esse sollicitus de eo qui sacramentum aliquod administrat, utrum bonus an malus sit; non debet attendere ipsum ministrum, sed de-

bet attendere Dei voluntatem atque omnipotentiam, debet attendere Spiritum sanctum median-  
tibus signis sacramentalibus visibilibus invisibili-  
ter intus operantem, sive justus, sive injustus sit  
minister qui illa signa exteriora perficit.

## CAPUT IX.

### DE MONITIONIBUS

#### IN LOCO CAPITULARI FACIENDIS

Quotidie postquam psalmus *De profundis* cum  
collectis in Capitulo finitus fuerit, si praesidens  
vult aliquid repetere ex his quae lecta fuerunt,  
vel si alioqui vult aliquid manifestare, resideat et  
dicat quae dicere habet. Monitiones si quae faci-  
endae sunt, faciat, cohortando, arguendo, obse-  
crando, increpando, monendo atque praecipiendo,  
ne per suam negligentiam regularis observantia re-  
ligionisque disciplina dilabatur. Si debuerit loqui  
de gravi aliquo excessu alicujus professi, jubeat ut  
novitii qui professi non sunt egrediantur. Statim  
ubi aliquem fuerit allocutus, is quem alloquitur  
stet in pedes, sicque patienter audiat quae dicun-  
tur. Si praesidens dixerit, *accede huc*, vel *veni*,  
veniat ille ante praesidentem et flexus genua, reli-  
giosam inclinationem capite faciat. Deinde mox  
surgens, stet rectus et humilis ante praesidentem  
a quo dimissus, facta inclinatione, redeat in locum  
suum. Si increpatur a praesidente, non praesumat  
se proterve defendere; si quid tamen habet quod  
rationabiliter excusare possit, cum omni humili-  
tatis et subjectionis modestia breviter rei veritatem  
fateatur, si praesidens eum audire vult.

Qui praesidens ubi tractaverit de his quae trac-  
tanda occurrerint, surgat et pronuntiet: *Adjuto-  
rum nostrum in nomine Domini*. Alii respondeant:  
*Qui fecit caelum et terram*. Atque ita Conventus

regrediatur in Oratorium ad cantandum Tertiam canonicam. Si praesidens nihil habet quod dicat vel moneat, statim ubi sacerdos hebdomadarius in fine agenda capitularis dixerit: *Requiescant in pace* et alii addiderint *Amen*, ipse subjungit *Adjutorium nostrum* etc. Quantum commode fieri potest, omnes fratres in monasterio constituti, qui infirmitate vel causis multum arduis non praepediuntur, praesentes se exhibeant agenda capitulari, saltem dum in fine dicitur *De profundis*, ut, si quid praesidens monere debuerit, ipsi audiant. Solius praesidentis est excessus fratrum in capitulo dijudicare et publica eorum peccata ibi emendare atque castigare. Nam occulta et secreta aliorum peccata illic temere detegi non debent.

Qui videt aut scit alterum contra religionis statum aliquid praesumere aut praesumpsisse quod absque emendatione relinqui non debeat, caveat ne a debito fraternae correptionis modo recedat. Igitur ad hoc laboret, ut is qui deliquit emendetur per secretam admonitionem. Si talis [35v] est culpa et offensa ut non nisi in monasticae disciplinae diminutionem vel animarum damnum latere superiorem possit, significet ei secreto cum timore Dei non tanquam publicae personae et iudici, sed tanquam singulari personae et pio patri qui prodesse velit. Talis alieni delicti significatio non levitate animi, non odio, non cupiditate vindictae, non quavis alia vitiosa passione, sed vero charitatis affectu, pia compassione, dulci justitiae zelo, cum omni humilitate et tranquillitate fieri debet, eo nimirum animo, ne si talia superiorem laterent et permitterentur, paulatim regularis observantia religionisque integritas deperiret et Deus offenderetur.

Superior vero prudenter, sicut conveniens fuerit, emendationem procuret, solerter cavens ne hunc vel illum indiscrete nominando occasionem praebeat simultatis atque odii. Non nimis leviter credat his quos passio aliqua ducere videtur, sed prudenter omnia consideret et veritatem perdiscere sategat. Qui deprehensus fuerit falso crimen alteri im-

pingere, sic puniatur ut caeteri sumant exemplum. Districtissime puniatur qui alteri satisfactionem poenitentiae pro aliqua culpa injunctam improperaverit. Similiter puniatur qui leviter et temere apud quos non oportet propalaverit ea Capituli secreta, ex quorum indiscreta manifestatione damnum vel infamia seu scandalum sequitur.

## CAPUT X.

### DE CORRECTIONIBUS CULPARUM

Superior, sicut in corrigendis culpis omnino diligens esse debet, ita debet et maxime discretus. Semper attendat qualis sit culpa, utrum scienter an ignoranter admissa, utrum semel tantum patrata an saepius iterata, utrum humiliter agnita an superbe defensa. Breviter circumstantias omnes sedulo penset, sicque timorem Dei et propriam fragilitatem prae oculis habens, correctionum remedia adhibeat in spiritu lenitatis et dulcedinis, in visceribus charitatis et compassionis, non autem in indecenti furore aut contemptu. Quod si necesse fuerit indisciplinatos, inobedientes et praesumptuosos asperius arguere, semper tamen ipsa asperitas aliquid dulcedinis prae se ferat aut post se relinquat.

Igitur pro errore parvo et tali negligentia, quae etiam contra voluntatem hominis plerumque accidere solet, iungatur nempe aut Salutatio angelica aut Oratio Dominica aut plures simul Orationes ac Salutationes, aut psalmus unus, aut scriptio aliqua aut aliquid simile iungatur. Pro his vero quae vitiosa negligentia admittuntur, ei qui deliquit iungatur satisfactio mediocris, id est, ipse reus cogatur secundum exigentiam culpae aut ultimum locum inter alios sui gradus seu ordinis fratres seu etiam post novitios investitos ubique tenere, aut caeteris spatia mentum habentibus in cella seu dor-



ditorio [36v] remanere, aut a vino vel carnibus abstinere, aut jejunare; aut in capitulo humilem prostrationem ante professorum pedes, interim dum dicitur *Pretiosa in conspectu Domini*, mittere terramque osculari. Per prostrationem intelligimus genuflexionem cum profunda capitis inclinatione. Licebit autem non solum unum ex praedictis injungere delinquenti, sed duo vel tria aut etiam plura, si culpa ita requirere videatur.

Si praesidens peccanti dixerit absolute: *Tu poenitentiam ages in satisfactione communi*, ipse quidem qui in eam satisfactionem mittitur, quamdiu duraverit talis poenitentia, ultimum locum inter alios fratres ubique tenebit, et in cella sua seu in dormitorio remanebit caeteris spatia habentibus; a vino etiam et carnibus abstinebit, prostrationem quoque ante professorum pedes in capitulo quotidie faciet, verumtamen non jejunabit nec abstinebit a celebratione missae vel communione, nisi superior expresse injunxerit. Quod si idem superior carentiam vini aut aliud excipere voluerit, excipiat. Si injunxerit jejunium, non tamen jejunabit diebus dominicis is qui in satisfactionem missus est.

Pro culpis nimis audacter, praesumptuose vel turpiter admissis, praesidens transgressorem mittere poterit in specialem satisfactionem dicens: *Tu poenitentiam ages in satisfactione speciali*. In quam satisfactionem qui missus fuerit, omnia servabit et faciet quae in satisfactione communi diximus esse facienda ab illo [37] qui in eam mittitur, sed et praeter illa, ipse cum nullo fratre et nullus fratrum cum eo durante satisfactionis tempore miscebit colloquium absque speciali licentia; tantummodo duo vel tria verba, si omnino debuerint obiter dici, dici poterunt. Cum abbate, priore et eo cui commissus est, libere loquatur, si ipsi cum eo loqui voluerint. Cum extraneis vel saecularibus etiam non jungetur absque expressa licentia, nisi forte alicui tali occurrat cujus colloquium com-

mode declinare non possit. Non jejunabit neque abstinere habebit a celebratione missae vel communionem, nisi praesidens expresse injunxerit. Quod si ipse praesidens carentiam vini aut aliud excipere voluerit, excipiat.

Pro enormibus magisque exsecrandis criminibus praevaricator in gravem satisfactionem mitti, vel carceri mancipari poterit. In quam gravem satisfactionem qui mittitur, mox ut audierit sententiam superioris dicentis: *Tu poenitentiam ages in gravi satisfactione*, ultro ad cellam suam vadat, uno fratre cui abbas illud commiserit subsequente. Quam quidem cellam suam non egreditur quamdiu in tali satisfactione fuerit, nisi tantum ut missam audiat, se calefaciat, necessitatique naturae satisfaciat. Ibi legat, oret et reficiat. Jejunabit quotidie, praeterquam in Dominica, vinoque carebit, nisi praesidens expresse exceperit. Durante tali satisfactione non celebrabit missam neque communicabit, nisi superior ex singulari gratia aut relaxatione permiserit. Ipse cum nullo et nullus cum eo vel unicum verbum absque speciali licentia loquatur [37v] praeter abbatem, priorem et eum cui commissus est. Si quis contrarium praesumpserit, simili poenae subdatur.

Qui in carcerem mittitur, statim ubi audierit praesidentem dicentem: *Tu poenitentiam ages in satisfactione carcerali*, exuat cucullam et almutium in loco in quo stat, sed et cultros ibidem deponat, sicque ultro vadat ad carceris habitaculum, eo fratre cui abbas injunxerit sequente. Nullus ad eum absque expressa licentia accedere praesumat; nisi praesidens monasterii et is cui ipse commissus est. Dum abbas absens est a capitulo, prior seu praesidens capituli poterit reum mittere in levem, mediocrem vel communem satisfactionem atque ab eis absolvere, [non autem mittere in specialem, gravem vel carceralem neque ab eis absolvere] <sup>(1)</sup>, nisi forte abbas absit a monasterio aut nisi alioqui

(1) Haec verba in cod. Remensi adduntur.



abbatis in monasterio constituti jussionem et auctoritatem habeat. Qui abbas eos qui sic poenitent absolvet ab injuncta poenitentia per se vel per vicarium suum quando voluerit, verumtamen haec ratio, quantum licet, servetur; videlicet qui a carcere absolvitur, adhuc juxta abbatis judicium et arbitrium in gravi satisfactione poeniteat. Similiter qui gravem satisfactionem egreditur, adhuc in speciali satisfactione poeniteat, quamdiu abbati visum fuerit. Et qui speciali satisfactione egreditur, adhuc poeniteat in satisfactione communi juxta superioris praescriptum.

Itaque a carcere ad gravem satisfactionem, a gravi satisfactione ad specialem, a speciali ad communem semper [37v] descendatur, nisi aliqua grandis causa vel necessitas impediat seu aliud requirat. Si interim, dum aliquis in praedictis satisfactionibus poenitet, advenerint poenitentis amici, praesidens monasterii poterit ad tempus relaxare poenitentiam, quousque illi recesserint; verumtamen a carcere nullus educetur, nisi jusserit abbas. Quivis in satisfactione carcerali, gravi vel speciali constitutus, non conveniet cum caeteris ad communes tractatus, nec habebit vocem seu suffragium in capitulo et eis quae tractanda occurrerint, quousque absolvatur, nisi superior ei vocem expresse concedat. Abbas curam eorum habeat qui sic in carcere vel gravi satisfactione diu poenitere habent, ex cujus ordinatione vel provisione ipsi poenitentes verbis consolatoriis per aliquos fratres confirmari poterunt, quamquam carceralis satisfactio non erit injungenda, nisi magna necessitas delicti omnino requirat.

Grandioribus fratribus disciplina verberum non infligatur, nisi grandis causa exposcat, et id non fiat praesentibus eis qui professi non sunt. Etiam magister juniorum ne ipsis quidem junioribus vel novitiis disciplinam verberum infligat, nisi superiori prius indicaverit aut nisi a superiore specialem vel generalem auctoritatem eos, dum causa seu

ratio exposcit, caedendi habeat; aliis modis monasticis poterit corrigere discipulos delinquentes, etiamsi superiori non loquatur. Nullus post investitionem nudetur aut cedatur infra zonam, sed supra, et coram saecularibus nullus investorum disciplinetur. Non conturbentur neque nimis contristentur [38v] delinquentes, dum supradictis poenitentibus subjiciuntur, sed gaudeant magis quod in conspectu fratrum suorum humilia quaedam ad tempus sustinent, per quae aeterna supplicia evadere et ad beatorum gloriam pervenire possunt. Tales culparum expiationes instituuntur in coenobiis, ut et bonae voluntatis monachi quotidie proficiant in melius et improbi ad observantiam regularis vitae compellantur.

Cilicium ad carnem gestent fratres in monasterio feria quarta Cinerum, et feria sexta hebdomadae sanctae, nisi propter causam rationabilem superior cum aliquo dispenset. Infirmi poterunt omittere ipsum cilicium etiam absque speciali superioris dispensatione. Porro quando cilicium praecipitur gestandum, praeceptio de die duntaxat intelligenda est; nam nocte, quando dormiendum est, semper deponi poterit cilicium.

## CAPUT XI.

### QUOMODO MISERICORDIA FIAT ALICUI FRATRI

Si aliquis fratrum prae aliqua impotentia communitatem in laboribus, jejuniis et aliis oneribus sequi non potest, sed supportari prae caeteris indiget, ipse necessitatem suam abbati opportune manifestet. Abbas vero, si judicaverit esse annuendum petitioni ejus, dispensationem misericordiae praestet illi coram caeteris vel per vicarium suum praestari faciat. Quae misericordiae exhibitio sic accipienda est, ut postquam is cui [39] exhibetur me-

lius habuerit et impedimentum, propter quod talem supportationem atque indulgentiam acceperat, jam non sustinuerit, ad solitos communitatis labores redeat. Qui propter manifestam infirmitatem praepediuntur a laboribus conventualibus, non habebunt necesse accipere publice dispensationem. Etiam pro causa particulari, quae communitatem fratrum non concernit, abbas dispensationem particulariter dare poterit.

## CAPUT XII.

### DE SILENTIO

#### LOCUTIONE ET LOCIS REGULARIBUS

Fratres in locis conventualibus silentii disciplinam, quae est religionis clavis et ornamentum, extra communium colloquiorum seu spatiamentorum tempus, rationabiliter servent. In oratorio autem etiam tempore colloquiorum observetur taciturnitas rationabilis. Et in dormitorio, cellis, atque calefactorio, etiam si tempus sit colloquiorum, non nisi modestissime loquantur fratres. Poterunt autem semper et ubique paucis verbis ac religiose quaelibet necessaria seu congrua insinuare et dum interrogantur respondere. Similiter dum honesti viri et amici superveniunt, poterunt horis congruis cum eis quaelibet convenientia decenter loqui, etiam extra tempus communium colloquiorum. Verumtamen servetur modus et ne quid nimis. Si in hac re fuerit abusus, superior sedulo impediat sapienterque amputet occasiones mali. Sollicite supernovitios et juniores [39v] vigiletur ne vel tempore communium colloquiorum nimis libere quibuslibet se adjungant. Sed et alii prudenter declinent superflua et indecentia consortia saecularium.

In cella infirmorum si aliqui commorantur, semper liceat liberius loqui cum modestia, et juvenes, in loco scholae, disciplinate inter se pro exigentia studiorum suorum et causarum spiritualium conferre poterunt; etiam quilibet pro executione officii sibi injuncti necessaria seu convenientia loqui poterit. Alioqui notabiles nimisque longas narrationes in locis regularibus extra tempus communium colloquiorum fratres absque necessitate vel licentia non faciant. A Completorio dicto usque ad capitulare officium diei sequentis silentii rigor strictius in ipsis locis regularibus servetur; et nemo tunc ibi loqui praesumat, nisi aut superior cum eo aut ipse cum superiore loquatur, aut alioquin licentiam loquendi habeat, vel ex causa multum rationabili aliquid breviter dicere cogatur, aut certe ex officio vel manifesta necessitate liberius loqui possit. Per loca regularia intelligimus oratorium, claustrum, dormitorium et caetera loca istis contigua, in quibus locis regulariter versantur. In praedictis regularibus locis semper se religiose habeant fratres. In his non concitato sed disciplinato gressu incedant, nisi necessitas vel causa rationabilis accelerationem exposcat. In his gradus, si qui sunt, modeste ascendant et descendant, januasque absque tumultu claudant et aperiant. In his et circa haec etiam tempore colloquiorum indecentem vocis exaltationem [40] et quamlibet irreligiosae levitatis ineptiam caveant.

Nullus fratrum extra ipsa loca regularia vel conventualia egredi praesumat, nisi ex officio, vel ex generali specialive licentia egredi possit. Nullus ad clausuram quae ecclesiam fratrum ab inferiori ecclesia dividit ventitare consuescat ad colloquendum cum aliquo externo vel saeculari, et eam clausuram non egrediatur aliquis, nisi sacristam in aliquo opere ibi faciendo adjuvare debeat, vel nisi ex officio aut licentia egredi possit. Beatus monachus qui nugis, ineptiis vaniloquiisque spretis silere amat, sciens quod qui multis utitur verbis, laedit ani-

mam suam, qui autem custodit os suum et linguam suam custodit ab angustiis animam suam. Regula dicit «scurrilitates, vel verba otiosa et risum momentanea aeterna clausura in omnibus locis damnamus, et ad talia eloquia discipulum os aperire non permittimus» (1). Quis ordinis Benedictini frater haec audiens non expavescat? Sed emendemus nos, et lacrymis vel gemitibus praeteritas culpas deleamus humiliati coram Deo.

### CAPUT XIII.

#### QUI EXTERNI AUT SECULARES

#### LOCA CONVENTUALIA INGREDI PERMITTUNTUR

Sollicite provideatur ne saeculares nimis facile jungantur monachis; quod si inter eos libera familiaritas liberque accessus fuerit, cito peribit sanctae religionis puritas et observantia. Ergo nec ipsis [40v] quidem viris passim et indifferenter concedatur ingressus ad claustrum et caetera interiora loca. Hi tantum admittantur qui auctoritate et compositione morum, honestaque conversatione pollere vel speciali notitia, amicitia seu propinquitate juncti esse noscuntur, nisi aut propter processionem aliamve piam causam, aut propter aedificiorum constructionem et reparationem alteriusve operis expletionem aut propter manifestam necessitatem evidentemque utilitatem aliud pro tempore fieri oporteat. Sane a completorio dicto usque ad capitulare officium diei sequentis completum, non nimis facile illuc saeculares externi introduci debent, nisi aut aedificiorum structura, sicut praedictum est, aut alia causa multum rationabilis vel necessitas requirat.

(1) Reg c. VI.



Omnino nullus fratrum praesumat aliquem saecularem seu externum ducere seu vocare per se vel per alium in dormitorium absque superioris jussione vel licentia, si modo superiorem praesentem habere potest a quo licentiam petat; si non habet superiorem praesentem, poterit quidem viros religiosos ducere illuc, ita tamen ut statim superiori id manifestet, ubi commode manifestare potuerit. Mulieres vero ad ipsa loca conventualia non admittantur, nisi processione vel manifestae necessitatis causa exposcat, aut nisi sint tantae auctoritatis seu honestatis et nobilitatis, vel de nobis tam bene meritaevae necessitudine propinquaevae, ut eis introitus videatur non debere negari. Tales igitur cum suo honesto comitatu interdum admitti [41] poterunt; nullo tamen modo regulare dormitorium ingredi unquam permittentur. Si sunt mulieres, abbas vel prior aut superior aut dispensator procuratorve, vel aliquis ex senioribus seu prudentioribus eas, quantum licet, deducat, maxime si non sunt de mulieribus nobilibus.

Et qui illas ex officio deducunt, poterunt secum assumere eos fratres, qui ex cognatione seu proximiori notitia ipsarum mulierum sunt, vel certe unum atque alterum ex maturioribus. Nullus fratrum causam non habentium se illis temere adjungat. Postquam loca viderint, educantur nec moram nimis longam ibi faciant, nisi forte aut divinum officium intus audire permittantur, quod temere quidem concedi non debet, aut certe ex aliqua necessitate illic diutius esse habeant. Si aliquis fratrum diu cum muliere loqui ex rationabili causa vel necessitate debuerit, hujusmodi prolixius colloquium extra loca conventualia teneatur potius quam in locis conventualibus.

Sacrista vel quicumque habet clavem ejus clausurae quae ecclesiam fratrum ab inferiori ecclesia dividit, non praesumat illuc introducere vel emitte-  
tere aliquem externum, nisi a superiore jussum vel permissum fuerit, exceptis personis multum hono-



rabilibus, quae absque mora et absque speciali licentia illuc introduci vel emitti poterunt. Alias, qui introducendi vel emittendi sunt, introducuntur et emittuntur per communem introitum claustrum, nisi necessitas aut utilitas aliqua pro tempore deposcat.

Si unus vel duo aut plures famuli necessarii [41v] fuerint, qui in locis conventualibus congregationi ministeria quotidie impendant, id est qui missis, pulsibus, servitiis mensae, emundationibus et aliis consimilibus adjuvando deserviant, assumantur honesti aliqui adolescentes vel etiam viri uxorem non habentes. Utrum pauperes sint aut non pauperes parum refert, modo compositione morum polleant, quamvis pauperes ad eam rem magis apti esse videantur. Qui famuli conventuales, cum inter monachos assidue versentur, non curiosis nimisque saecularibus sed honestis vestimentis utantur. Admoneantur ut satis frequenter confiteantur et communent. Nullus fratrum absque licentia superioris mittat eos extra loca conventualia pro negotio aliquo particulari. Nullus per illos cibum aut potum in suos particulares usus extra refectorium deferri faciat sine scitu et permissione superioris. Nullus etiam praeter abbatem et priorem sibi usurpet auctoritatem specialem in eos, nisi ipse superior ordinaverit.

Et ipsi famuli nusquam extra monasterium egrediantur, nisi jubeat aut permittat superior, sed nec in monasterio quidem huc atque illuc pro arbitrio vagari permittantur, verum sedulo contineantur cum caeteris in exercitiis honestatis et pietatis. Cum eis sicut caeteris fratribus quilibet loqui poterit, et ipsi dormitorium ingredientur aut etiam ibi in cellulis more aliorum quiescant, si ita abbas judicaverit expedire, neque prohibebit tales aliquando ad monachatum admittere, si [42] eos literas sufficienter scire et aptos esse contingat. Quod si petulantibus suis fratres inquietare, eosque in silentio et caeteris religionis observantiis per incompositionem morum impedire, aut etiam perversitate

actionum vel verborum inficere caeperint et corrigere se noluerint, citius ejiciantur. Similiter expellantur si pertinaciter inobedientes fuerint in his quae ipsis rationabiliter injunguntur. Non permittantur habere pecuniam aliquam particularem apud se in sua potestate suoque arbitrio.

Porro si quis talium famulorum jam competenti tempore probatus inveniatur perseverare in bono proposito ac pie vivere, poterit, si videatur expediens, literis sigillo abbatis sigilloque conventus munitis certus reddi, quod nunquam ejicietur, nisi sua infidelitas, vel intolerabilis inobedientia seu mala vita compulerit. Sed dum exhibendae sunt tales literae, priusquam ipsi illas accipiant, quaeratur ab eis publice coram conventu, utrum promittant se obediens fidelesque futuros, et sine peculio victuros in congregatione ac nunquam deserturos ipsam congregationem, nisi licentia septem diebus ante exitum petita. Si palam et aperte respondeant se hoc promittere, dentur eis literae. Quibus exhibitis abbas eos non ejiciet absque consensu conventus, sic nec conventus eos ejiciet absque consensu abbatis [42v].

## CAPUT XIV.

### DE REFECTIONIBUS JEJUNIIS ET ABSTINENTIIS FRATRUM

Hora prandii vel caenae instante, lector mensae et hi qui sub refectioe conventuali servire habent paulo ante caeteros veniant ad refectorium et quae praeparanda sunt, ea absque irreligiosis fabulis, inordinationibus vel dissolutionibus tempestive praeparent. Si ante prandium aliquid praegustare volunt, praegustent ut postea suum officium commodius explere possint. Ante refectiunculam non

negligant elevare cor ad Deum orantes et signum crucis super cibum exprimentes. Etiam finita eadem refectiuncula gratias ex corde agant ipsi Domino pro sua quisque devotione. Sit modica haec praegustatio et praecipue diebus praecipuorum jejuniorum parcius sumatur. Postquam ad tintinnabuli sonitum congregatio fratrum advenerit in refectorium, omnibus rite ante mensas stantibus, servitores infundant abbati ingresso, si praesidens est abbas, et specialibus hospitibus, si qui ibi adsunt ac suscipere volunt, modicum aquae ad ablutionem digitorum, tenentes phialam seu vitrum et pelvim atque tersorium. Deinde si panis jam supra mensas positus est, ipse praesidens stans juxta mensam suam seu locum suum incipiat benedictionem mensae, dicens voce mediocri et directanea absque accentu *Benedicite*. Fratres et voce mediocri subjungant pariter versum cum *Gloria Patri*, et brevem litaniam, id est *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison*, legentes deinde in silentio *Orationem dominicam*, ad cuius [43] finem sacerdos hebdomadarius, id est, is qui ea hebdomada missam conventualem celebrat, pronuntiet: *Et ne nos inducas in tentationem. Oremus*, ac conversus ad principalem mensam addat: *Benedic, Domine, tua dona etc.* Alii respondeant ea quae convenient. Benedictione mensae hoc modo completa, lector petat etiam benedictionem particularem voce mediocri, quam praesidens in prandio quidem dabit his verbis: *Mensae caelestis participes faciat nos Rex aeternae gloriae*; in caena vero istis: *Ad caenam vitae perpetuae perducatur nos Rex aeternae gloriae*. Fratres autem respondeant: *Amen*; et ita lector ad analogium, caeteri ad mensas se collocent.

Nemo considentium aliquid gustet, quousque lecta una aut altera sententia praesidens signum dederit. Si quis fratribus jam collocatis et residentibus sero occurrerit ultimum locum teneat, ne propter eum surgere et strepitus edere sit necesse. Sub ipsa refectioe quilibet in silentio his quae leguntur

diligenter intendat, ne corpore cibum sumente mentem jejunam habeat et gravi ingratitude reatu se constringat. Tales ab abbate deputentur ad legendum, qui sint intelligentes et id officii digne complere, atque auditores aedificare possint. Non servient mensis hi qui legunt, caeteri hebdomadatim per ordinem servient, excepto abbate, priore, dispensatore vel aliis, si qui sunt alii quos propter officia aut propter aliam necessitatem superior exemit. Servitores servire consuescant absque inordinato sonitu vel tumultu. Unusquisque ad mensam honeste et religiose [43v] se habere satagat. Visus huc atque illuc temere non spargatur, integri cubiti super mensam indecenter non reclinentur, si aliqua humoribus humectata manu sumenda sunt, ea tribus digitis sumantur. Quod cocleari hauriendum est, id modeste et composite, absque indecenti stillicidio vel strepitu et absque vitiosa capitis demissione hauriatur.

Nullus consuescat spuere super cibos aut super mensas cibo potuve respersas. Manus unguium excrescentia foedae ibi non habeantur. Ossa, cortices, casei vel fructus, micae panis et similia non projiciantur sub mensis. Cibus non praecipitanter nec turbulente voretur, sed continenter et placide sumatur. Nullus praesumat aliquid cibi vel potus particularis ex communi coquina vel pemore non ministrati pro se in refectorium inferre sine licentia, nisi forte modicum herbarum, radicum, specierum vel fructuum. Si tamen hanc concessionem abusus sequatur, superior impediatur. Nullus de his quae sibi supersunt aut quae sumere non vult aliquid de mensa ad mensam alteri destinet, sine praesidentis beneplacito. Etiam nullus cibum aut potum in particulares usus ex refectorio quovis modo asportare queat absque superioris permissione. Refectione conventuali completa, ubi praesidens lectionem finiri voluerit, dabit signum. Quo audito, lector concludat, dicens: *Tu autem, Domine.* Et postquam fratres secundum consuetudinem respon-



derint: *Deo gratias*, surgent universi seque ad gratias agendas disponent. Dum autem surgunt, vident strepitus indecentes et infames nimisque sonoras excreationes quantum commode possunt.

[44] Ad gratiarum actionem cantor voce mediocri inchoet versum; alii eum prosequantur adjunctes *Gloria Patri*. Deinde sacerdos hebdomadarius addat: *Agimus tibi gratias*, vel *Benedictus Deus etc.* Ubi fratres responderint *Amen*, cantor imponat psalmum *Laudate Dominum omnes gentes cum Gloria Patri*. Quo finito, dicetur brevis litania. Deinde lecta in secreto *Oratione dominica* subjicietur per sacerdotem hebdomadarii versus cum oratione *Retribuere*. Dicto *Benedicamus Domino, Deo gratias*, praesidens addet *Fidelium animae etc.* Postquam fratres responderint *Amen*, egressi cum religiosa honestatis et taciturnitatis disciplina, pariter veniant in oratorium, ibique flexis genibus voce mediocri legant pro benefactoribus vivis et defunctis psalmum *Miserere mei*, adjunctes *Gloria Patri*. Quo completo fiat brevis gratiarum actio in silentio. Tandem praesidente dante signum, omnes honeste surgant et egrediantur. Quando a caena habetur vespertina recreatio, non statim post gratiarum actionem in refectorio finitam, divertent ad oratorium ut legant psalmum *Miserere*; sed post finitam recreationem, tam benedictio quam gratiarum actio et psalmus *Miserere* legantur honeste et monastice absque irreligiosa festinantia.

Lector et servitores post alios reficiant. Conceditur quidem eis ut inter reficiendum rationabilia modeste et disciplinate cum timore Dei loquantur. Non autem permittitur ut indigna et quae piis nullo pacto conveniunt ibi tractent; ubi etiam risus dissolutos et caeteras levitates atque ineptias eos omnino vitare volumus. Vigilet superior ne supradicta concessione abutantur, diligenterque impediatur [44v] mali occasiones, sed abusus praeveniat. Idem servitores et lector non nimium prolongent refectionem, sub qua etiam nullus aliorum, qui jam



refecerunt ex se praesumat redire in refectorium, aliquid denuo gustaturus cum ipsis. Nemo enim fratrum in monasterio extra horas prandii vel caenae aliquid notabile comedere debet absque licentia, nisi sit aegrotus, aut iter maximum agere debeat, seu ex itinere jam jam redierit, aut nisi propter debilitatem, laborem, aetatem vel officium, id facere possit. Postquam finierint refectionem lector et servitores jamque gratias Deo egerint et omnia reposuerint quae in refectorio reponenda sunt, redeant ad sua seu ad alios fratres cum omni disciplina. Una hora pro qualibet refectione sufficiat.

Diebus jejunii fratres congregabuntur in refectorium ad primum pulsum completorii, ubi disposito potu super mensas, omnibus stantibus, praesidens dicat voce mediocri: *Sit nomen Domini benedictum*. Caeteri respondeant: *Ex hoc nunc et usque in saeculum*. Praesidens addat: *Potum servorum suorum benedicat Dei Filius*, exprimens interim signum crucis. Alii respondeant *Amen*. Deinde lectore petente benedictionem, praesidens benedicet; a Pascha quidem usque ad Exaltationem sanctae crucis his verbis: *Angelorum custodia muniat nos Christi misericordia*; reliquo vero tempore anni, his verbis: *Noctem quietam tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus*. Qua benedictione data universi residebunt. Et post unam aut alteram sententiam lectam, eodem praesidente dante signum, deinceps qui volunt bibere, bibant, panisque morsellum comedant. Qui non jejunant, sedeant separati ab aliis ac interim coeuent, nisi superior aliter disponat. Praedictam refectionem jejunantium vocamus collationem, propterea quod per modicum potum corpori collatum ipsi jejunantes confortentur. Postquam ea finita fratres surrexerint, praesidens dicat: *Sit nomen Domini benedictum* et caeteris respondentibus: *Ex hoc nunc et usque in saeculum*, addat *Fidelium animae per misericordiam Dei requie-*

*scant in pace.* Alii respondeant: *Amen.* Et ita decenter egressi veniant ad oratorium ad cantandum completorium.

Cibus ea mensura fratribus apponatur ut justam refectionem ex eo percipere possint, maxime in prandio. Si tanta paupertate premitur monasterium ut non nisi simplicissimus et modicus cibus possit apponi, non perturbentur servi Dei, sed gratias agant et confidant in Domino, quia quanto etiam in exteriori paupertate Christo similiores sunt, tanto veriores monachi esse comprobantur, si patientiam habeant. Quantum ad potum attinet, ubi cerevisia principalis potus est, cuilibet sacerdoti in qualibet conventuali refectione prandii vel caenae vinum ultra mensuram unius cyphi absque necessitate non administretur, praeterquam diebus sollemnis recreationis sollemnive spatiamenti, vel quando etiam alias abbati visum fuerit. Tunc enim poterit addi ex charitate secundus cyphus dumtaxat. Juniores et qui sacerdotes non sunt, quando et quantum vini percipiant in abbatis sit ordinatione. Per cyphum unum intelligimus sextam partem ejus mensurae que gallico vocabulo in territorio Hannoniensi lotus [45v] dicitur. Licebit etiam ad collationem jejunii cuilibet modicum vini exhibere, sed parcius quam in prandio et cena.

Si quis hospes aut externus voluerit aliquid dare fratribus pro vino charitatis et superior annuerit, non sic administretur ut quilibet in qualibet refectione ex eo percipiat ultra duos cyphos. Si tantum est ut saepius ex ea charitate possit exhiberi, per plures refectiones illud administretur. Neque enim permittimus ut propter festum aliquod seu aliquam recreationem unquam in conventu vinum alicui administretur ultra duos cyphos, nisi infirmitatis vel alterius manifestae necessitatis causa deponat. Si modo in loco cerevisia principalis potus non est, ubi ipsius cerevisiae usus rarus est, et vino pro principali potu fratres utuntur, ipsum sic dispensetur ut necessitati sanitatique serviat non

crapulae. Quod si facultates monasterii facile admittant, ubi etiam cerevisia pro principali potu in usu est, ordinaria seu quotidiana vini portio aliquanto major habeatur, quam praediximus, abbas, si vult, poterit admittere, servata discretionem et sublata diligenter occasione excedendi.

Si monasterium fuerit tam tenue ut raro vel etiam nunquam unus cyphus vini cuilibet fratri quotidie administrari possit, non murmurent neque contristentur ipsi fratres, sed in omnibus laudent Dei providentiam. Venerabiliores hospites viri etiam ad mensam conventualem interdum admitti poterunt, si admitti petierint, ita tamen ut propter eorum praesentiam lectio nullo modo intermittatur, nisi sit dies sollemnis recreationis sollemnisve spatiamenti aut nisi alioqui necessitas aliqua vel valde specialis causa exposcat. Nullus fratrum intra septa monasterii praesumat particulariter reficere cum aliquo hospite vel saeculari, nisi vel specialem superioris licentiam habeat, vel alioqui ex officio id facere possit. Quantum commode fieri potest, semper unus ex maturioribus secundum abbatis ordinationem praesens sit, dum aliquis juniorum frater cum hospite particulariter reficit. Ipsos hospites dum superveniunt abbas gratanter excipiat curetque ut omnis humanitas eis tanquam Christo diligenter exhibeatur; non tamen propter eos superfluae irreligiosaeque comessationes vel excessivae potationes fiant.

Praeter Quadragesimam et caetera jejunia Ecclesiae fratres jejunent etiam per omnes ferias Adventus Domini et pridie Purificationis Dei genitricis ac pridie Ascensionis Domini et pridie festi Corporis Christi. Item pridie Visitationis Nativitatisque ipsius beatae Mariae Virginis. Haec appellamus specialia jejunia observantiae. Etiam jejunent fratres feriis sextis, nisi in illis festum duodecim lectionum aut privatus dies sollemnis octavae, celebritatem etiam simplicis festi duntaxat habens, modo jejunio ecclesiae diocesanae non sit insignitus,

vel generalis minutio, hoc est generalis phlebotomia occurrat. Verumtamen feriis sextis inter diem [46v] Nativitatis Domini et octavam Epiphaniae atque inter Pascha et Pentecosten occurrentibus, item feria sexta ad primam dominicam Adventus et feria sexta ante dominicam Quadragesimae non jejunabunt, nisi jejunium Ecclesiae vel speciale jejunium observantiae in eis inciderit.

Sed et quando praeter ipsum ordinarium jejunium feriae sextae occurret in eadem hebdomada adhuc aliud jejunium, idem ordinarium feriae sextae jejunium tunc omittetur. Abbas quoque ex speciali gratia poterit, si volet, propter causam multum rationabilem et urgentem relaxare toti conventui feriae sextae jejunium, sed caveat indiscretam facilitatem. Quando vigilia alicujus festi jejunium annexum habens occurrerit in Dominica, ipsum jejunium servatur in sabbato praecedente. Abbas cum adolescentioribus et debilibus et cum eis qui labore corporali nimium gravantur, misericorditer dispenset sicut fuerit necesse; quibus pro necessitatis exigentia concedetur ut praeveniant horas communi refectio[n]i deputatas. Et quidem pueri vel juvenes non sument hujusmodi particulares refectiunculas in alio loco quam in refectorio conventuali, nisi aliqua necessitas contrarium exigat aut superioris licentia habeatur. Ante sua jentacula elevent cor ad Dominum orantes et signum crucis super cibum exprimentes. Etiam post illa gratias ex corde agant ipsi Deo.

Fratres abstineant ab ovis et lacticiniis secundum consuetudinem catholicae Ecclesiae vel diocesis [47] in qua vivunt. A carnibus in monasterio abstineant qui sani sunt omnibus diebus jejuniorum et feriis sextis et sabbathis vel aliis diebus quibus sancta Ecclesia abstinet. Item per totum Adventum Domini et feria secunda ac tertia post dominicam Quinquagesimae. Item in die Nativitatis Domini et in die Paschae. Alias uti poterunt carnibus sicut caeteri fideles et catholici sabbathis



inter Nativitatem Domini atque Purificationem B. Mariae, si diocesani licite utuntur carnibus, non tamen fratres permittentur uti eis in conventuali mensa, nisi necessitas exposcat, sed nec extra conventualem mensam aliquis fratrum in monasterio tunc utatur carnibus, nisi causa rationabilis et superioris licentia vel praesentia singularium hospitem admittat. Sciendum autem est quia abbas, et in ejus absentia is qui cum hospitibus ex officio reficere habet, propter adventum ipsorum hospitem poterit solvere ordinarium jejunium feriae sextae, si non est tunc jejunium Ecclesiae. Si aliquos fratres advocaverit ad hospitem mensam, etiam ipsi tale feriae sextae jejunium ordinarium solvere poterunt in gratiam hospitem. Caeterum conventus ordinaria feriae sextae jejunia extra dies supradictos fideliter omni tempore prosequatur.

In specialibus quoque jejuniis observantiae, si abbas vel alii fratres sedent ad mensam cum specialibus hospitibus caenantibus, poterunt etiam ipsi discretionem et convenientiam servata caenare, sed abstinebunt ab esu carnum, nisi aetas vel infirmitas aut praesentia hospitem valde singularium aliud permittat. Nam his rationibus [47v] intervenientibus poterunt etiam tunc cum timore Dei vesci carnibus. Sic et feria 2<sup>a</sup> et 3<sup>a</sup> post dominicam Quinquagesimae. Item die Nativitatis Domini et die Paschae vel etiam sabbatis a Nativitate Domini usque ad Purificationem Beatae Mariae, si dioecesis catholica usum carnum tunc admittit, rationibus supradictis intervenientibus licitum erit eis in monasterio carnes edere. Caeterum extra monasterium quilibet fratrum ipsa quoque specialia jejunia observantiae solvere, et in esu carnum fidelibus catholicis apud quos est, se conformare poterit ad honorem Dei. Nullus nimium austeras abstinencias ultra communis observantiae consuetudinem facere praesumat absque superioris scitu et permissione.



## CAPUT XV.

DE QUOTIDIANIS SACRAE LECTIONIS  
EXERCITIIS ET LABORE MANUUM

Quotidie a meridie ad spatium saltem dimidia-  
tae horae, si legitimum impedimentum non obsis-  
tit, teneatur in capitulo vel claustro aut alio loco  
apto lectio regularis, sub qua legentur libri Lau-  
rentii Justiniani et opuscula Thomae a Kempis vel  
etiam alii consimiles devoti monachisque conve-  
nientes tractatus. Qui libri postquam ex ordine  
completi fuerint, iterum repetentur ab initio. Igi-  
tur, signo dato, et praesidente fratribusque jam  
praesentibus in loco ubi tenenda est ipsa [48] lec-  
tio, lector benedictionem petat, et praesidens be-  
nedicat his verbis: *Purificet nos Deus omnipotens  
et corda nostra illuminet.* Qua benedictione data,  
et dicto: *Amen*, lector ad analogium, caeteri in  
scamnis seu sedibus se collocent. Quicumque ad  
hoc deputantur ut legant coram congregatione,  
adnitantur, quantum in se est, distincte et aperte  
legere, ut commode ab audientibus intelligi pos-  
sint. Non verba praecipitent, sed laudabilj medio  
servato, omnia religiose et decenter pronuntient.

Hanc lectionem regularem nunquam volumus  
in totum omitti, nisi sit dies sollemnis recreationis,  
solemnisve spatiamenti, vel nisi necessitas aliqua  
aut nimium grandis causa exposcat. Si res non-  
nunquam forte exegerit ut anticipetur hora con-  
sueti, et abbrevietur lectio, ea servabitur ad spa-  
tium quartae partis unius horae vel circiter. Qua  
regulari lectione durante, si aliqui desideraverint  
sibi aliqua alia particulariter legere aut etiam scri-  
bere, poterunt id facere cum silentio in ipso loco,  
ubi lectio recitatur. Quilibet decenter vultuque

aperto sub lectione resideat. Omnes qui ratione officiorum suorum vel alioqui ex obedientia seu necessitate abesse non coguntur, magna diligentia se praesentes huic lectioni exhibere satagant.

Ubi praesidens ea finiri voluerit faciat signum. Quo audito, lector concludat dicens: *Tu autem, Domine, miserere nostri.* Caeteri respondeant: *Deo gratias.* Praesidens [48v] voce remissiori addat: *Deus charitatis et pacis maneat semper nobiscum.* Alii respondeant: *Amen.* Si abbas fuit praesens in lectione regulari, discedat primus, et post eum prior, deinde caeteri sequantur. Si ipse prior debeat aliqua dicere coram fratribus, quae minus fuerunt dicta mane in capitulo, vel quae alioqui supervenerint dicenda, non mox discedet abbate discedente, sed remanebit cum fratribus, donec dixerit quae dicenda fuerint. Abbas si tunc aliquid dicere habet, dicat antequam egrediatur.

Quantum attinet ad lectiones, quae sub refectioe conventuali recitari debent, ista servetur ratio. In principio prandii et caenae recitetur unum caput ex sacra Scriptura, vel duo si non sunt nimium proluxa aut etiam tria. Quando propter recreationem remittenda est lectio sub refectioe, ipsa eadem lectio remitti poterit, etiam non finito uno integro capite. Hoc modo ad initium prandii et caenae recitabitur sacra Scriptura ex ordine, et postquam completa fuerit, iterum repetetur ab initio. Textus libri psalmodum ibi eo modo non legatur. Omittetur etiam tertius et quartus liber Esdrae. Post lectionem sacrae Scripturae lector tam in prandio quam in caena statim subjunget lectionem ex sanctis Doctoribus quae durabit usque ad finem refectiois. Verumtamen propter recreationem intermittitur lectio. Id quod ex textu sacrae Scripturae fuerit inceptum in initio [49] refectiois continuabitur etiam in fine ejusdem refectiois, tuncque lectio ex Doctoribus omittetur.

Ad quam Doctorum lectionem, ista recitabuntur: Tractatus beati Augustini in Psalmos et in Evangelium et Epistolam Joannis. Item sermones

ejus de verbis Domini et de verbis Apostoli, sermonesque de tempore et sanctis ac liber homiliarum; Expositiones beati Gregorii papae in librum Job, in Ezechielem, in septem psalmos poenitentiales, in Cantica, Et Homiliae ejus in Evangelia. Poterunt legi etiam excerptiones sanctarum exhortationum seu locorum communium ex beato Joanne Chrysostomo, libri venerabilis Bedae, libri Radulphi Flaviacensis, libri Ambrosii Ausberti vel aliorum similiorum orthodoxorum patrum sacrae lucubrationes in divinam Scripturam. Quae postquam completa fuerint, iterum resumentur ab initio. Lector ita tempestive lectionem textus sacrae scripturae finiet ut majorem partem temporis quod conventuali refectioi deputatum est insumat in lectione Doctorum. In praecipuis diebus seu solemnitatibus poterit, si ita superiori placeat, omitti tam ordinaria lectio sacrae Scripturae, quam ordinaria lectio Doctorum, et pro eis recitari aliquid spectans ad solemnitatem praesentem. Quae solemnitatis lectio, si ita prolixa est, ut una refectioe vel etiam uno die non possit compleri, continuabitur diebus sequentibus donec compleatur.

Etiam singulis diebus ante Completorium in capitulo [49v] vel claustro aut alio loco apto, tenebitur lectio ad spatium quartae partis unius horae vel circiter, si manifesta necessitas non impediat, exceptis diebus quibus Completorium statim post Vesperas dicitur. Ad quam lectionem recitabuntur Passiones et Vitae sanctorum, Collationesque seu Acta Patrum. Quae postquam completa fuerint, iterum repetentur ab initio. Dabitur autem lectori benedictio. A Vigilia quidem Paschae ac deinceps usque ad Vigiliam Exaltationis sanctae Crucis ista: *Angelorum custodia*; reliquo vero tempore anni, ista: *Noctem quietam* etc. Diebus jejunii haec lectio completorialis servabitur in refectorio sub collatione. Omnes supradictae Lectiones semper concludentur cum his verbis: *Tu autem, Domine, miserere nostri*. Nos propterea expressi-

mus autorum et librorum nomina, qui in conventu legi debent, ne aliqua monachis minus utilia tunc recitentur. Convenit enim talia fratribus ubique proponere ex quorum auditu pias mentes quae ad aeternam patriam per sancta desideria festinant, enutriri, confortari, illuminari et recreari valeant.

Porro ipsos fratres monemus, ne verborum elegantiam in negotio spirituali intempestive requirant, non quod damnemus sermonis ornatum, sed quod improbemus monachorum quorundam perversum iudicium quibus nihil sapit, nihil arridet, nisi quod eleganter dictum est. Scripturas verbis simplices, sensibus utilissimas tanquam indignas suis fastidiosis auribus penitus respuunt, magnum aliquid prae caeteris se habere [50] existimant, alios minus elegantes despiciunt, doctrinas humiles ineptias appellant. Qui sane, nisi tantam animi arrogantiam deposuerint, nunquam consequentur aliquem aeternae vitae profectum. Ab eis enim tanto longius Spiritus sanctus recedit, quanto ipsi ab innocenti simplicitate veraque humilitate sunt alieni. Oportet verum monachum sic esse affectum, ut nihil scire desideret, nihil se scire existimet, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum. Quod si alia scire desiderat et laborat, ad hoc tamen desiderare debet, ut in scientia Jesu Christi sanctaque pietate magis proficiat <sup>(1)</sup>, ad quae paratus esse debet per rudia sicut per ornata verba institutionem bonae vitae suscipere.

Sicut autem iudicamus exactam dicendi artem verborumque politiem monachis non esse necessariam, ita rursus non iudicamus ejusdem artis ignorantiam monachis necessariam esse. Sic permittimus eos pro tempore vel aetate dare operam politioribus litteris, ut tamen per illarum studium labem superbiae et vanae gloriae in se non trahant, sed omnia ad honorem Dei pure referant. Alioquin

<sup>(1)</sup> Fragmenta hujus capituli, nempe a verbis « porro ipsos fratres monemus » usque « magis proficiat » ex Statutis in cap. 16 Vitae commemorata sunt.



praestat monachos idiotas esse quam elegantes. Utilis satis est simplicitas per quam melius conservatur humilitas. Non rectum usum sed perversum et perniciosum eloquentiae vituperamus. Qui deprehensus fuerit se propter scientiam jactare, aut alios contemnere, districtissime puniatur. Sed et si quis visus fuerit omnino ad vanitatem dare operam politioribus literis ac propter earum studium curam pietatis deserere, impediatur arceaturque a vana et damnabili occupatione. Nulla ratione teneant fratres apud se libros haereticos [50v] damnatos, impudicos, vel alias christianis monachisque indignos, nisi forte alicui prudenti ad examinandum seu refellendum pro evidenti utilitate concessi fuerint ab eo qui concedere potest. Beati sunt monachi illi qui in sacrae lectionis et piarum precum exercitiis sanctas suas recreationes et delicias constituunt, eoque pacto suum solantur exilium, quousque hinc evocati percipiant ea quae Deus illic praeparavit diligentibus se.

Nunquam vacent otio fratres. Opera exteriora quae vel superior injunxerit, vel communis necessitas utilitasve requisierit, ab omnibus et singulis prompte suscipiantur fideliterque compleantur. Unusquisque autem sic laborem externum moderetur, ne per eum mens ad exercitia spiritualia inutilis reddatur. Si aliquis per officium vel per opus sibi injunctum experitur se omnino retardari a salute animae suae profectuque interno, significet id cum omni humilitate superiori. Et siquidem superior eum ab hujusmodi necessitate absolverit, agat Deo gratias; si vero non absolverit, perseveret in obedientia, confidens de Domini auxilio. Caeterum inter exteriores labores scriptio monachis admodum convenit, per quam et corpus exterius et animus interius decentissime occupatur.

Quamvis autem absque scribendi labore, libros typis excusos comparare liceat, hoc tamen non debet nos reddere segniores; quo minus libenter in scriptione, dum aliis actionibus vel impedimentis legitimis non detinemur, ad honorem Dei certis



temporibus nos exerceamus, etiamsi id quod quisque scribit, ad nullum forte usum postea venire debeat. Interim enim manibus [51] laboramus, taediumque spiritualium actionum convenientissime tollimus. Nam et Aegyptius ille monachus sportellas quas par anni circulum conficiebat, igne supposito cremare ac deinde novas cremandas texere consueverat, in quo nimirum opere, non hoc spectabat, ut sportulas usui futuras texeret, sed ut tempus honeste per opus manuum ad Dei honorem deduceret. Ergo qui sentiunt se sacrae lectioni vel orationi seu divinae laudi et contemplationi non posse diu privatim insistere, hi dum ab occupationibus vacant, si laborare valent, studeant per scriptionem vel per aliud conveniens et honestum opus manuum otium vitare.

## CAPUT XVI.

### QUO ORDINE ACTIONES CONVENTUALES OMNI TEMPORE SERVENTUR

Omni tempore tam jejunii quam binae refectio- nis actiones conventuales uno ordine uniformique dispositione, quantum fieri potest, servantur, ut fratres eas et caetera particularia exercitia commodius atque utilius complere possint. Ergo ipsi fratres ad vigilias nocturnas excitentur, et surgant ordinarie hora quarta post noctis medium. Si aliqui voluerint surgere maturius, surgant et vacent spiritualibus vel necessariis exercitiis usque dum detur pulsus ad vigilias. Quando est festum duodecim lectionum, si res exigere videatur, fiat primus pulsus ad matutinum medio spatio inter tertiam et quartam a noctis medio, vel in summis festis hora tertia. Caeterum sive medio spatio inter tertiam [51v] et quartam sive hora tertia sive hora quarta post noctis medium surgatur ad vigilias,

semper inter primum et ultimum pulsum ipsarum vigiliarum nocturnarum mediet circiter quarta pars unius horae, sub quo intervallo omnes sedulo se praeparent ut sint expediti ad laudandum creatorem.

Pulsus primae canonicae dabitur spatio minus dimidiatae horae vel quartae partis horae post Laudes transacto, juxta superioris ordinationem. Prima canonica completa, subsequatur officium capitulare. Deinde tertia canonica. Si duae missae cantari debent, ea quae minus principalis reputatur, cantetur post tertiam canonicam. Hora diei nona ante meridiem, vel etiam maturius, si prolixitas officii aut alia causa rationabilis requirat, detur pulsus ad sextam canonicam. Qua absoluta, subjiciatur summa missa, nisi solemnis benedictio alicujus rei aut processio inter sextam et summam missam interjici debeat. Post ipsam summam missam subsequatur nona canonica. Deinde facto modico intervallo, agatur prandium. Diebus jejunii poterit differri pulsus ad sextam canonicam et dari serius ad dimidiatam horam. Tribus diebus proxime Pascha praecedentibus, immediate post tertiam canonicam subjicietur sexta canonica; ante officium vero missae sive communionis nona canonica legitur et post missam seu communionem Vesperae dicuntur. Hora prima pomeridiana teneatur lectio regularis. Diebus jejunii tenebitur serius, nempe medio spatio inter horam primam et secundam pomeridianam. Ante quam lectionem qui voluerint [52] modicum requiescere, requiescant et priusquam detur signum ad ipsam lectionem excitentur fratres.

Hora quarta pomeridiana, vel etiam maturius, si prolixitas officii aut alia causa rationabilis exposcat, detur pulsus ad vespertas canonicas. Quibus finitis, si officium defunctorum dici debet dicatur. Deinde post aliquod temporis intervallum caena sequatur. Hora septima pomeridiana, in aestate, detur primus pulsus ad completorium canonicum. In hyeme seu quando sunt tenebrae, detur citius

sicut superior ordinaverit. Diebus jejunii detur semper hora sexta. Post quod completorium omni tempore immediate adjungetur commemoratio Dei genitricis Mariae. Diebus tamen vespertinae recreationis completorium cum commemoratione Dei genitricis subjungetur mox post Vesperas vel post officium defunctorum, si dicendum fuerit.

Dispositio actionum conventualium per totum anni circulum servetur sicut jam prescripsimus, nisi aliqua evidens necessitas impediat. Is cui commissum est horologium, non praesumat notabiliter prolongare vel abbreviare in detrimentum spiritualium exercitiorum; nihil in hac re attentet absque superioris licentia.

## CAPUT XVII.

### DE LIBERIORIBUS COLLOQUIIS, SPATIAMENTIS VEL RECREATIONIBUS CONGREGATIONIS

Regula monet ut de bonis, sanctis et edificationum eloquiis perfectis discipulis propter taciturnitatis gravitatem, rara loquendi concedatur [51v] licentia. Nos ergo, sicut indignum judicamus, ut fratres passim quovis tempore et quibuslibet horis liberam habeant loquendi potestatem; ita humanam infirmitatem pie attendentes, ad honorem Dei concedimus, ut quotidie lectione regulari post meridiem finita, ipsi usque ad vesperarum canonicarum tempus, liberius de rebus honestis vel utilibus loqui possint, servata in omnibus debita morum compositione. Quo etiam temporis spatio, hi qui sacerdotes sunt per hortum conventualem spatiari poterunt, ita tamen ut audito primo pulsu vesperarum redeant et se recolligant.

Aliis junioribus, si non quotidie, saltem aliquoties in hebdomada, concedatur spatiamentorum licentia, nisi eorum excessus interdum mereatur, ut eis negetur illa licentia. Diaconibus et subdiaconibus licebit aliquantulum plus concedere quam his qui nondum sunt constituti in sacris ordinibus, modo suis culpis non reddant se indignos ea gratia. Etiam in prima dominica quadragesimae, et deinceps usque ad kalendas octobris post caenam cum gratiarum actione completam, aut si est dies jejunii post vespereas, seu post officium defunctorum, ipsi fratres inter se honeste colloqui, et sacerdotes per hortum spatiari poterunt usque ad primum pulsum completorii, si non sunt tenebrae.

Solemnis recreatio congregationi fratrum singulis annis concedatur duodecies. Et quidem diebus quibus concedetur, postquam sub prandio lector aliquantulum progressus in lectione fuerit, praesidens signum faciet, quo audito, ipse lector desinet legere, non tamen pronuntiabit solitam conclusionem: *Tu autem Domine*. Lectione igitur intermissa, praesidens mox dicat: *Deus charitatis et pacis maneat semper nobiscum*. Caeteri respondeant *Amen*. Et ita mutuis colloquiis inter se liberius fruuntur sub reliqua parte refectionis, servata in omnibus honestate monastica.

Refectione completa, interim dum amoventur ea quae mensis apposita sunt, lector ad praesidentis signum rursus aliquantulum legat et eodem praesidente signum dante, lectionem concludat, dicens: *Tu autem Domine*. Postquam omnia quae ad gratiarum actiones spectant, completa fuerint, fratres ad locum capitularem conveniant, ubi praesidens dicat: *Adjutorium nostrum in nomine Domini, Oremus: Omnipotens sempiternae Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti filii tui mereamur bonis operibus abundare. Per eundem Christum Dominum nostrum*. Caeteri respondeant convenientia et ita rursus libere loquantur ad honorem Dei usque ad tempus vesperearum. Nam lectio regularis tunc non tenebitur.

Sub caena remittetur lectio sicut sub prandio, qua etiam caena completa et gratiarum actione finita, fratres iterum libere colloquentur usque in horam completorii.

Etiam singulis annis duodecies toti congregationi concedi poterit solemne spatium, cujus diebus anticipabitur pulsus sextae canonicae in horam octavam ante meridiem ut prandium maturius solito agi possit. Sub quo remittetur lectio mensae et psalmo *Miserere mei Deus* completo, fiet oratio in Capitulo, omitteturque [53] lectio regularis sicut in solemni recreatione. Qua brevi oratione consummata, si situm est monasterium ut absque scandalo fratres egredi possint, pariter egrediantur ad prata, campos, silvas et monasterio vicina <sup>(1)</sup>, redituri tempestive ante vesperam tempus. In quo solemni spatium, prudenter mulierum colloquia, quantum in ipsis est declinare studeant, ad domos saecularium absque evidenti necessitate non divertant, nec aliquid notabile comedant vel bibant, nisi necessitas requirat et praesidens permittat. Non deferant secum aliqua monachis minus convenientia. Omnem inordinationem qua scandalizari possent hi qui eos conspiciunt, sollicito vitent; nusquam procul se jungantur ab invicem sed pariter exeant, pariter ambulent et pariter revertantur. Reversis exhibeatur potus et panis vel etiam caseus modicus in refectorio, ubi hi qui sitiunt honeste bibant et abeant. Sub caena et deinceps habebunt se sicut sub solemni recreatione.

Poterit concedere abbas ut ter vel quater in anno, dum habebitur recreatio solemnis aut solemne spatium vesperae propter recreationem vespertinam anticipentur ante horam ordinariam. Quibus vesperis absolutis et vigiliis mortuorum, si dicendae fuerint, finitis, immediate subjiciatur completorium. Post caenam gratiarum actione usque psalmum *Miserere mei* completa, fratres rur-

(1) Cod. Remen: tempore monasterio.



sus libere colloquantur seque honeste recreent etiam in refectorio, si ita placeat, usque in horam nonam [54] idque sine comessionibus. Quae nona hora post quam sonuerit, detur brevis pulsus, cessentque a tali recreatione. Et disciplina taciturnitatis resumpta fratres veniant in oratorium, ibique flexis genibus legant voce remissa psalmum *Miserere mei Deus cum Gloria*. Quo finito fiat brevis gratiarum actio in silentio. Deinde praesidente signum dante omnes surgant, et ab ipso praesidente conspergantur aqua benedicta. His ita peractis omnes cum summo silentio secundum consuetudinem in dormitorium redeant.

Abbas non saepius quam duodecies in anno recreationem solemnem [neque sepius quam duodecies solemne spatiammentum] <sup>(1)</sup> toti simul congregationi concedat, nisi necessitas vel grandis causa exposcat aut cogat. Nunquam in die jejunii, vel in Dominica aut in alio speciali festo concedatur solemne spatiammentum. Si aliquod monasterium ita situm est, ut rarius vel etiam nunquam ipsum solemne spatiammentum modo supradicto toti congregationi concedi possit sine scandalo saecularium, diebus ipsius non quidem totus conventus pariter egredietur ad agros vel silvas, verumtamen fruatur relaxatione lectionis mensae, lectionisque regularis et colloquiis seu recreationibus ante et post caenam, sicut si haberetur solemne spatiammentum extra monasterium.

Quotidiana atque ordinaria colloquiorum et spatiammentorum libertas non concedatur ante lectionem regularem finitam, nisi sit necessitas. In suis recreationibus fratres vitent cursus concitatos et non necessarios; vitent vociferationes incompositas, lusiones turbulentas dissolutasque, ut est lusio pilae. Vitent etiam talos, tesseras et similes ludos monachis non convenientes [54v]. Nullus eorum absque superioris licentia utatur aliquo instrumento musico extra tempus communium collo-

(1) Haec verba in Cod. Remen. adjunguntur.

quiorum. Tempore colloquiorum permittitur convenientium instrumentorum honestus et rationabilis usus, sed vigilet superior ne hanc permissionem sequatur abusus. Qui si acciderit, impediatur mali occasionem. Fistulas, tibias et similia instrumenta quae minus tranquilla et a saeculari lascivia minus aliena sunt nolumus in usu esse apud fratres.

## CAPUT XVIII.

### DE HIS QUI EXTRA MONASTERIUM PROFICISCUNTUR

Quando aliqui fratres extra monasterium ex licentia superioris proficiscuntur, non gestent gladium, aut quodvis simile invasivum instrumentum, sed si quid gestandum est, scipio seu quippiam aliud religioni conveniens gestetur. Ipsi iidem qui extra monasterium proficiscuntur, ubique modestiam et compositionem morum praeferant. Summopere caveant ne vitiis, dissolutionibus indisciplinatisque gestibus intuentes scandalizent et sanctam religionem diffament. Sint verecundi et humiles, nusquam verborum contentiones suscipiant, nisi negotium fidei et salus animarum requirat; quamquam nec tunc quidem licet monacho indisciplinate contendere. Effrenem loquendi ausum, excussos risus, indecentes collusiones, ineptos jocos sedulo vitent. Sine necessitate non currant, superiorem tunicam neque propter iter neque propter ludum aliquem exuant. Publicum rationabiliter fugiant. Orationi, meditationi vel lectioni intendere ament; sanctae sobrietatis terminos non excedant. Inter [55] reficiendum non invitent alios ad aequales haustus bibendos, quam pestem perniciosissimam diabolus invexit in orbem terrarum, et

si quis eos provocaverit instantius ut plus bibant quam convenit, honeste se excusent.

In fine diei dum ad quiescendum se recipiunt, non vacent intempestivis ineptisque fabulis, sed modestiae vel etiam taciturnitatis disciplinam custodire satagant. Statim postquam surrexerint, operatoria seu lodices lectorum in quibus quieverunt, decenter componant. Denique per omnia se habeant sicut decet sanctos Dei. Quantum commode fieri potest, nunquam aliquis fratrum solus iter pedes faciat in remotiori profectioe, sed semper alter frater, aut certe honestus aliquis saecularis habeatur comes. Videat superior quem cui adjungat propter honestatis et religionis observationem. Quilibet dum egreditur claves suas priori tradat. Si sunt claves communis officii, tradat illas ei qui in ejus absentia ipsum officium completurus est. Si sunt claves scrinii particularis in quo pecunia monasterii sibi commissa servatur, nemini illas tradat, nisi jusserit abbas, maxime si brevi rediturus est. Si in die regressionis habetur jejunium observantiae, ipsi qui reversi sunt, eo die caenare poterunt. In vigilia tamen Purificationis B. Mariae et Ascensionis ac Corporis Christi atque Visitationis et Nativitatis ejusdem Dei genitricis, non facient caenam in monasterio, nisi causa aliqua multum rationabilis requirat.

Etiam in die regressionis, si primam refectioem non percipiunt ad mensam hospitem, poterunt eam percipere privatim extra mensam conventualem, nempe cum lectore [55v] vel cum infirmis aut inter se. Et prima nocte regressionis non erunt astricti occurrere ad communes vigiliis nocturnas, neque ad primam canonicam neque ad officium capitulare, nisi advocentur jussu superioris; sed ad tertiam canonicam. Praeterea si pecuniam aliquam dum egrederentur acceperint pro necessitatibus supervenientibus, ubi redierint si quid ex [ea] superest, reconsignent cui reconsignanda est et chartam abbati exhibeant fideliter continentem in quae quidque expenderit, nisi id

ore indicare malint. Etiam ipsi qui pecuniam communitatis tractant et custodiunt, reversi ex itinere, hujusmodi chartam superiori exhibeant, nisi hoc ore indicare voluerint; aut nisi per libellum de expensis illis, sicut et de aliis quae recipiunt et exponunt, rationem reddere juxta superioris ordinationem postea habeant. Nulla admittatur fraus in conscriptione expensarum; sed sicut veritas habet, omnia scribantur, ne et mendacio et proprietate vel furto se inficiant qui illa scribunt.

Abbas poterit concedere ut de biennio in biennium quilibet frater sacerdos visitet parentes et amicos suos; alias non permittatur istud absque necessitate vel causa multum rationabili, nisi quis forte cum abbate egrediente proficisceretur vel ad negotia mitteretur, aut nisi alioqui abbas propter specialem gratiam alicui exhibere vellet. Nuptias et dedicationes seculares non liceat fratribus sub obedientia superioris in monasterio viventibus frequentare, nisi forte supervenerint ubi illae celebrantur, vel alioqui necessitas seu magna utilitas exposcat ut illis intersint. Juniores non mittantur ante sacerdotium [56] ad visitandum parentes et amicos suos, nisi notabilis causa et necessitas requirat. Dum tamen ad ordines suscipiendos egrediuntur, si in eorum itinere habitant parentes et amici, poterunt eos invisere, non tamen procul ab instituto itinere deflectere ut illos visitent, nisi causa et licentia superioris admittat.

## CAPUT XIX.

### DE DORMITORIO CELLIS CALEFACTORIO ET RASURA FRATRUM

Postquam finito completorio fratres conspersi aqua benedicta in dormitorium redierint, non amplius eo die descendant absque expressa superioris permissione aut inevitabili necessitate; sed ingres-



sis cellulis conscientias examinent silentiumque districtissime servant. Non diu differant quietem, verum dato signo vel etiam ante si volunt, praeparant se et collocent, ut necessario somno refecti alacres surgant ad sacras excubias. Post quod signum non jam egrediantur cellulas absque necessitate evidenti, exceptis his quorum est vigilare super alios vel his qui ex superioris licentia quietem rationabiliter differre possunt, et his qui impediti in suis officiis post completorium non ascenderunt cum caeteris in dormitorium. Nullus unquam quiescat nudus nisi manifesta morbi necessitas compulerit, sed quilibet aut in tunicella aut in interula aut in camisia quiescat. Et in monasterio quidem super camisiam aut interulam vel tunicellam breve scapulare induat, seque zona leniter et laxe desuper cingat, exceptis infirmis, vel alias impedimentum [56v] patientibus qui etiam absque scapulari in monasterio quiescere poterunt.

Nullus etiam fratrum conventualium utatur in monasterio intra loca regularia linteaminibus lineis vel camisia linea, nisi aut infirmitas aut equitatio aut iter vel alia necessitas seu ratio requirat, sed alioqui tam camisiae quam linteamina aut staminea sint aut lanæ. Etiam fratres conventuales in monasterio inter ipsa loca regularia lectos habeant consutitios absque plumis quos materiales vocamus, exceptis infirmis seu debilioribus vel dispensatione indigentibus. Extra monasterium quilibet quiescat sicut ei libuerit, modo non quiescat nudus. Abbas extra regulare dormitorium quiescere poterit. Et qui gravius infirmitur omnino quiescant extra idem dormitorium si fieri potest; alii omnes non alibi quam in ipso regulari dormitorio quiescant, nisi cum aliquibus abbas propter causam rationabilem dispensaverit. Si quis tamen nimis sero ex itinere redierit, quiescat ea nocte extra dormitorium regulare.

Nunquam duo eodem lecto quiescant in praedicto fratrum dormitorio. Omni tempore intempestivus strepitus atque tumultus sollicite ibi vitetur.



Nullus ibi saeculariter cantillet aut sibilet docendo aviculas. Ostia cellarum seras habere poterunt, sed intra easdem cellulas nihil clave claudatur aut firmetur, nisi forte aliquis communem pecuniam in cistella serrata ratione officii sui servare habeat, verum talis caveat ne in eadem communis pecuniae cistella aliud particulare reponat aut abscondat [57] ne proprietatis labem incurrat. Si quid alioqui in fratrum cellulis sera clausum fuerit, semper relinquatur clavis juxta seram. Ipsa ostia cellarum cancellos habeant; nullus fratrum penitus claudat ab interiori parte ipsos cancellos, nisi causa rationabilis requirat.

Abbas et prior omnium cellarum claves habeant, et saepius eas visitent, scrutiniumque faciant ne quid ibi forte sit aut agatur quod monachos non deceat. Vigiletur summo opere circa proprietatis vitium ne alibi delitescat. Similiter claves officinarum seu aliorum locorum abbas et prior apud se retineant. Nullus in cellulam suam carbones ignitos inferat absque superioris licentia propter periculum incendii. Nullus etiam magnum aliquid aedificet, affigat aut destruat in cellula sua absque scitu et consensu superioris. Extra tempus communium colloquiorum alter in alterius cella, excepto abbate et priore, non diu consistat sine causa rationabili vel licentia. Quando duo vel plures in una cella sunt, janua ipsius cellae pateat, nisi hi qui in cella sunt faciant confessionem sacramentalem. Nam licet ipsa confessio magis fieri debeat in loco publico et aperto quam in cellis aut angulis, si tamen nullum periculum scandali aut malae suspicionis actionisve imminet, poterit etiam in cellis fieri, nisi superior contrarium praecipiat.

Si ipse superior est in cella, aut si ibi aliquis veraciter aegrotat, vel si licentia superioris habeatur, poterit claudi janua cellae, licet plures in ea constituti sunt. Post completorium dictum usque ad capitulare officium sequentis diei finitum nullus praeter superiorem alterius [57v] cellam ingredi praesumat, nisi propter confessionem sacramenta-

lem faciendam, aut propter lumen obiter dandum seu accipiendum vel nisi manifesta infirmitatis periculive causa requirat aut alioqui expressa superioris licentia pro aliqua utilitate permittat. Ubi fenestrae cellarum videri possunt ab externis vel secularibus, fratres non appendant in eis femoralia, caligas, seu aliquid simile, nec se totos in ipsas reclinent: maxime post completorium, quando jam superioribus vestimentis exuti, se praeparant ad requiem et adhuc dies est, nisi causa rationabilis requirat.

Non consuescant fratres urinam per fenestras ejicere nisi sub eis fluvius aut stagnum vel locus incultus atque ab hominibus non frequentatus habeatur, sed illam ad communem locum secessum deferant, et alioqui ubicumque sunt, petant locum secretum, atque a conspectibus hominum liberum ad urinandum, si modo talis suppetit locus. Dum aliquis fratrum ex hac vita migrat, nullus praesumat aliquid e cella defuncti auferre absque expressa superioris licentia vel permissione.

In calefactorio extra tempus communium colloquiorum exactius servetur silentij disciplina, quia in eo major habetur excedendi occasio. Nemo se ibi calefaciat manibus saeculariter a tergo conjunctis vel pedibus indecenter divaricatis aut pudendis inhoneste nudatis. Praesentibus senioribus juniores locum medium ante ignem non occupent sed seorsum se cum disciplina contineant, honestam reverentiam ubique exhibentes ipsis senioribus.

Si fratres non ab externo aliquo seculari, sed a confratre [58] seu confratribus, vel a famulo conventuali raduntur, ipsa rasura poterit fieri in calefactorio dormitorii, nisi alius locus aptior et convenientior habeatur. Sub quo opere honeste servetur taciturnitatis disciplina quantum licet, nisi sit tempus colloquiorum. Sed et colloquiorum tempore fratres non nisi modestissime ac religiose loquantur in dormitorio et ibi a lusibus et nugis diligenter abstineant. Singularis enim quies et tranquillitas omni tempore illi loco debetur. Qualibet

hebdomada vel certe post duas hebdomadas semper radantur fratres, nisi legitimum impedimentum obstiterit. Circulus capillorum qui in capite relinquitur non excedat in latitudine duos digitos transversales, qui potius etiam aliquanto strictior esse poterit.

## CAPUT XX.

### DE VESTIMENTIS ET CETERIS NECESSITATIBUS FRATRUM

A vestimentis fratrum omnis notabilis curiositas vanitasque saecularis excludatur. Ex quibus ea quae in aperto gestantur multumque apparent omnino nigri sint coloris. Cuculla regularis, quae est habitus amplus cetera vestimenta tegens, et fere ad terram usque propendens, non fiat ex serico neque bysso, sed ex ea materia quae gallico vocabulo saya dicitur, si haberi potest. Huic appetentur manicae largiores capitiumque a tergo assuatur. Cuculla novitii erit per omnia similis cucullis professorum nisi quod carebit manicis. Fratres dum ipsas cucullas exuunt non relinquunt illas ex negligentia vel mala [58v] consuetudine passim per loca jacentes, sed eas referant ad cellas, si ipsis vacat, nisi forte certus aliquis locus secretior habeatur in quo illae honeste et ordinate ex permissione superioris reponi soleant.

Cucullam quilibet indutam habeat sub actionibus conventualibus, nisi quod is qui superinduitur vestimentis ecclesiasticis, et is qui ad mensam conventualem servire debet et dispensator cucullam exuet atque in scapulari ministerium complebit, quod regulare scapulare dependebit a scapulis anterius et posterius, convenienterque erit prolixum et ad modum cucullae habebit caputium a tergo

assutum. Quando fratres minus occupantur in laboribus seu operibus externis, non faciant nimiam consuetudinem incedendi aut ambulandi publice, caputio scapularis dejecto, et dependente a tergo infra zonam, maxime dum non gestant almutium, sed vel capiti superponant, vel recte super collum seu ad alterutrum latus colli decenter super humerum relevent et colligant. Verumtamen portari poterit scapulare non capitiatum super camisiam aut interulam propter dormitionem vel piscationem; atque super tunicellam propter gravem laborem, sed et super tunicam gestare poterit propter iter, maxime propter equitationem. Quod si aliquis venerit in publicum habens scapulare non capitiatum super tunicam, omnino super scapulare debet esse indutus almutio.

Appellamus autem almutium capitium panneum, quod regulare almutium erit sicut et alia capitia anterius apertum et oblongis partibus super pectus utrimque dependebit, vel certe circumquaque erit rotundum. Quod etiam poterit esse subductum pellibus agninis vel alia materia monachis conveniente secundum temporis vel necessitatis exigentiam. Capitium cucullae vel scapularis a fratribus subditis superinducetur almutio quando ipsum almutium portabitur sub opere Dei, lectione refectioeque conventuali, in monasterio. Qui non sunt sacerdotes non utantur almutio in monasterio, nisi ex causa aliqua rationabili abbas concesserit. Pilei simplicitati monasticae convenient et profundiusculi sint, angulorumque eminentiis nimium productis careant. Fratres non immittant pileis suis ferreos aut ligneos seu alterius materiae circulos, quibus ipsi pilei appareant rigidiores et cultiores, nec eosdem pileos capiti superpositos ad dexteram vel laevam inepte et saeculariter inclinent neque quomodolibet aliter irreligiose componant, sed modestiam monasticam in omnibus servent.

Galerus itinerantium latitudinem plus minus



unius palmae circumquaque in suo margine habeat, qui etiam serico aut alia pretiosa materia monachis minus conveniente non vestiatur. Clamis quam mantellum vocamus careat manicis et monasticam compositionem prae se ferat. Tunica regularis non sit saeculariter ex transverso partita et consuta circa zonam, sed sit perpetua et proluxa usque ad talos vel circiter. Qui in multis impediri vel frequenter egredi debent poterunt gestare tunicas aliquanto breviores quam gestant alii, non tamen indecenter breves. Abbas propter equitationem uti poterit tunica brevi; [59v] quilibet alius si equitare habet, succingat tunicam longiorem, nisi abbas etiam tunicae brevis usum ad equitandum alicui concesserit. Et abbas equitans dum utitur brevi tunica, si in loco ad quem pergit diu seu pluribus diebus permanere debuerit, deferat secum tunicam longiorem quam processurus in publicum induat. Hujus tunicae regularis suprema pars circa guttur non sit nimis alta et manicae non nimis amplae neque rursum nimis strictae sint, sed mediocriter se habeant, appareantque earum extremitates replicatae super brachia. Nullus unquam prodeat in publicum quin zona super ipsam tunicam superiorem sit cinctus. Sit autem tunica superior tota pannea, nisi quod manicae circa pugnoscum et replicatura subduci poterunt ex ea materia ex qua cuculla regularis constat.

Si quis novitius in monasterium admissus debuerat diu exspectare propter suam minorem aetatem, priusquam investiatur et insigniatur grandi tonsura monastica, gestabit tunicam talarem satis convenientem in forma cum tunicis regularibus, nisi quod juxta pugnoscum erit stricta; poterit etiam circa guttur esse altior eisdem tunicis regularibus. Non erit necesse ut ipse novitius desuper cingatur zona. Gestabit et pileum, si non monasticum, certe nec nimis saecularem. Tunicella quae a fratribus sub regulari tunica portari solet paulo brevior sit quam ipsa tunica et manicas penitus strictas ha-



beat, monasticaque compositione absque crebris plicis gestetur. Tunicellae equitantium breviores erunt tunicellis ordinariis et poterunt esse apertae anteriorius, cum tunicellae ordinariae eorum qui non gestant longas caligas debeant esse clausae. Interula quae sub tunicella portari potest sit omnino simplex, levis et brevis. Tunicellae et interulae sint etiam panneae vel laneae, neque ex alia materia habeantur, nisi quod manicae earum circa pugnum ex ea materia aptari poterunt ex qua cucullae constant.

Camisia staminea portetur fissa anteriorius usque ad medium pectoris vel amplius. Calcei semirotundi anteriorius, et undique clausi appareant, altique sint ferme usque ad inferiorem juncturam pedis. Sandalia similiter figuram semirotundam anteriorius ostendant, non autem multum acutam aut bicornem. Si qui calceoli portantur cum ipsis sandaliis erunt simplices et tenues. Breves caligae ascendant usque ad medium coxarum vel circiter. Itinerantes, maxime qui equitare habent, poterunt uti longis caligis etiam suprema lumborum seu femorum circumdantibus et cingentibus, ita tamen ut simpliciter absque zonularum assumentis et absque conscissionibus aptatae sint. Sed et in monasterio consistentes, si hujusmodi caligis vel femoralibus panneis propter frigus vel propter aliam causam rationabilem necesse habuerint uti, cum licentia superioris utantur; diplois ad quam colligari longae caligae solent, si gestatur, semper absque manicis gestetur.

Chirotecis fratres in monasterio publice non utantur, nisi graviores manuum labores requirant. In itinere autem propter aeris intemperiem chirothecis absque curiositate aptatis uti poterunt, ita tamen ut itinere confecto inter homines constituti eas deponant. Etiam in monasterio et sub actionibus conventualibus, manus tegumento panneo [60v] et convenienti vestire poterunt propter frigus. Zonae, cultelli, sudariola fratrum indecenti curiositate careant. Similiter et in ephippis frenis,

calcaribus et aliis consimilibus non appareat vitiosus apparatus. Abbas et qui pecuniam monasterii frequentius portare et tractare habent, crumenam sub veste poterunt gestare. Non exuant fratres superiorem tunicam in publico, nisi vel exteriorum operum labor vel certe evidens necessitas requirat. Quod dum faciunt, servant scapulare aliquod super tunicellam. Propter piscationem non se nudent publice usque ad camisiam; sed si piscandum est reservetur super camisiam interula aut aliud tegumentum cum brevi scapulari. Cilicia fratrum non laventur a saecularibus exterius, quae quidem cilicia ex rudi tela confici poterunt.

Provideat ipse abbas ut necessaria quaeque tam in vestimentis quam in aliis rebus administrentur fratribus, in quantum ratio postulat, ac monasterii facultates admittunt, et non permittat ipsos fratres prorsus superflua vel inutilia requirere a suis parentibus et amicis eosque intempestive gravare; quod quidem manifestae superfluitatis vitium sedulo ubique reseceatur. Caeterum in concedendis his quae viderit esse licita, honesta et rationabilia, non nimis difficilem sed benignum se fratribus exhibeat. Deputet distributorem priorem vel alterum quempiam qui necessaria quaeque suo tempore distribuat; cui fratres vel verbo vel data chartula libere significant quibus indigeant. Ipsis tamen distributor, nihil eorum quae majoris sunt momenti tribuat absque abbatis scitu et licentia [61]. Dum autem nova in vestimentis praebet, antiqua, si amplius usui non sunt, omnino recipiat receptaque custodiat, donec pauperibus ex abbatis ordinatione seu permissione distribui debeant. Quae sarcienda et resarcienda sunt, ea ipse sarcienda et resarcienda procuret; et ad eum pro hujusmodi negotiis caeteri confugium habeant; non autem per se ipsos ea sollicitent, nisi jussi vel permissi fuerint. Si fuerit necesse, habebit distributor alterum quempiam qui se in eo opere adjuvet.



## CAPUT XXI.

## DE VITIO PROPRIETATIS

Nullus fratrum sub superioris obedientia constitutorum et conventualiter in monasterio viventium, aliquid ex se dare, mittere aut ab alio missum oblatumve vel undelibet ad particulares usus acceptum scienter ac voluntarie diu retinere praesumat absque superioris scitu vel permissione, nisi omnino vile sit et nullius momenti, ut sunt aliquot calami, aliquot folia papyri, aliquot fructus, acus, sportellae, clavi et similia, quae superiore non contradicente possunt absque dolo innocenter et rationabiliter accipi ac dari. Si extra monasterium aut alibi constitutus est frater, ubi superiorem praesentem non habet a quo licentiam petat dandi aliquid vel ea accipiendi quae offeruntur, poterit quidem oblata suscipere, ita tamen ut postquam superiorem praesentem habuerit, ei manifestet, et voluntati atque dispositioni ejus committat. Similiter si aliquid dederit, omnino significabit superiori ubi eum habuerit praesentem, nisi, ut dictum est, res sit prorsus vilis.

[61v] Si praesidentem haberet praesentem, merito non deberet scienter ac voluntarie differre ultra viginti quatuor horas, quin ei per se vel alium indicaret, maxime si non certo crederet id quod dedit vel accepit secundum ipsius superioris voluntatem esse. Sane qui aliquid tale tenet aut dat, quod a suo superiore non vellet esse cognitum, aut quod putat esse praeter permissionem ac voluntatem superioris, liber a proprietate non est, etiam si illud quod ita retinet vel dat sit res vilissima vel nullius momenti. Particularem pecuniam sive parvam sive magnam non solum non recipere vel tenere, sed nec petere ab amicis aut

quibusvis aliis per se aut per alium aliquis attentet, nisi permiserit superior. Fratri alibi constituto, ubi superioris praesentia haberi non potest, si ultro offeratur aliqua particularis pecunia, ipse quidem si periculum scandalum nullum imminet, eam poterit suscipere, non tamen poterit eam petere, nisi praecesserit expressus superioris consensus. Igitur si ultro oblatam susceperit, omnino superiori manifestet et eam voluntati ejus committat, ubi ipsum superiorem praesentem habere potuerit.

Quod si superior permiserit hujusmodi particularem pecuniam teneri, eam ad communes usus vel necessitates poterit applicare. Si constituerit esse applicandam particularibus necessitatibus illius cui data fuit, quod non indiscrete et sine rationabili causa fieri debet, ne per hoc distractionibus et inquietudinibus agitetur is, cui sic illa videtur esse deputata, ipsam tamen aut apud se teneat, aut ex ejus ordinatione [62v] aliquis alius, si ita voluerit, habeat sub custodia. Ex qua particulari pecunia nihil omnino exphendatur absque ipsius superioris licentia. Qui superior nulla ratione permittere potest ut frater conventualis de gremio et corpore congregationis in monasterio sub obedientia sua vivens peculium seu aliquid tanquam proprium [habeat]. Non solum pecuniam sed et quaevis alia magni momenti vel pretii prohibemus fratribus petere ab amicis vel externis absque superioris permissione.

Nihil magni vel notabilis pretii inter se permittent aut sibi mutuo dent fratres absque superioris consensu. Si aliquis fratrum tale aliquid sibi ab abbate permitti petierit, quod abbas judicet non debere latere priorem, annuendo petitioni praecipere poterit illi qui petit ut ipsi priori significet se hoc vel illud concessisse ac permisisse. Etiam qui aliquid ab abbate postulat, si prius a priore petiit et non obtinuit, postulando ab abbate aperte ei significet sibi id prius a priore fuisse negatum. Nullus inter fratres quicquam suum esse proterve contendat aut defendat, non codicem, non imaginem, non vestimentum, non aliud quicquam rerum



externarum et extra se positarum; nec scribant in libris sibi ad usum concessis: Liber fratris talis aut aliquid simile, sed liber talis aut talis monasterii. Poterunt tantum subscribere proprium aliquod signum, vel proprium nomen et cognomen.

Quamvis non improbemus ut fratres pro honesto solatio et exercitio teneant hortulos, arbores, violaria et similia, non tamen talia aliquis habeat tanquam propria, sicut nec quicquam aliud. Nullus subditorum conventualium [62v] particularem canem in locis regularibus sibi alere, nec nimis multas aves seu alias bestias in cella tenere permittantur. Privati hortuli concessi, quantum commode fieri potest, sibi invicem sint contigui; et sic aptentur ut quilibet transiens facile videre queat quicquid in eis agitur. Non claudantur nisi sera communi, vel si particulari sera clauduntur, abbas et prior claves habeant. Si fratres hortulorum et violariorum concessione abusi fuerint, idem abbas auferat mali occasiones. Quando aliqui sub superioris obedientia constituti et conventualiter in monasterio viventes extra monasterium profiscuntur, ubi reversi fuerint, exhibeant abbati chartam fideliter continentem expensas itineris, vel hoc ore indicent, sicut superius alibi dictum est.

## CAPUT XXII.

### DE HIS QUIBUS RES VEL OFFICIA IN CONGREGATIONE COMMITTUNTUR ET DE IPSIS MONASTERII FACULTATIBUS

Sacrista omnia sacratiora seu pretiosiora templi vasa ac vestimenta vel etiam quaecumque ad ecclesiae ornatum et divini officii usum spectant, custodiat fideliter peragens quicquid ex officio incumbit. Si aliquid ultro offertur ab his qui sacro-



sanctas reliquias visitant, vel si alioqui aliquid datur pro missa seu pro aliquo opere consimili spirituali, hujusmodi pecuniam ex permissione superioris recipere poterit, quae quidem pecunia postea inferetur in arcam communem, nisi prius [63] expendi debeat, ea applicabitur piis honestique usibus ex consensu abbatis et conventus. Caveat ipse sacrista ne vestimenta sacrata, postquam inveterata fuerint, transferat ad usus prophanos et non sacros. Si amplius usui esse non possunt, ea vel in terram sacratam defodiat, vel exurat, recondens cineres in terram sanctificatam. Corporalia et linthea quibus calices post communionem terguntur, non tradat lavanda, nisi ipse vel alius sacerdos aut diaconus prius ea in mundo vase abluerit, cujus ablutionis aqua mittatur in piscinam. Sanctas reliquias et caetera sacrata tractet cum reverentia. In solemnitatibus templum suo cultu et ornatu condecoret, in aestate flores, ramos et herbas bene olentes, si habentur, adhibeat vel sollicitet ut adhibeantur. Denique propter fidem sancti officii executionem, misericordiam Dei sibi ubique procuret.

Librarius custodiat omnes libros communis bibliothecae, diligenter praeservans eos a pulveribus, situ et tineis. Quando alicui codicem tribuit, semper chartulam accipiat signatam manu ejus cui librum tradit, vel certe ipse adnotet se talem librum tali die praebuisse, conscribens diem et annum; quando reddetur liber, reddat chartulam vel deletat seu laceret quod adnotaverat. Sacrista et librarius in suis officiis adjuvent et sublevent se invicem cum charitate, sed et a caeteris, maxime a junioribus, solatium et adjutorium sedulo eis impendatur. Distributor pannum et caetera, quae quotidianis fratrum usibus necessaria sunt, custodiat; de quo distributore superius locuti sumus [63v]. Dispensator talis ad abbate eligatur, qui sit sapiens, sobrius, diligens, benignus et misericors. Is recipiat et dispenset ea quae ad cibum potumque attinent, vel etiam aliarum rerum cu-

stodiam habeat. Nemini contumeliose loquatur. Si aliqua irrationabiliter petita fuerint, non cum injuria vel contemptu rejiciat postulanti, sed cum mansuetudine rationabiliter deneget id quod male petitur; vitium avaritiae et prodigalitati pari studio fugiat. Omnia cum mensura et ratione faciat, sequens in omnibus jussionem vel ordinationem abbatis. Erga pauperes et hospites viscera misericordiae et charitatis affectum apperiat eisque debitam humanitatem et consolationem exhibeat. Verumtamen nihil grande vel insuetum quasi sub praetextu eleemosynae aut hospitalitatis largiatur, ubi verisimiliter putat abbatis voluntatem non esse. In talibus abbatis consilium et consensum requirat. Si necesse fuerit, habeat vel monachum vel honestum fidelemque saecularem, cujus opera in ministerio hospitem et aliis sublevetur.

Qui ab abbate deputatus fuerit, ut reditus monasterii vel ex parte vel ex integro recipiat, diligenter attendat sibi, ne recipiendo, expendendo, conservando, conscribendo, aliquando, quod absit, in vitium infidelitatis, mendacii et proprietatis seu peculii incidat. In suo ministerio non mercedem temporalem spectet, sed propter Deum gratis serviat, mercedem aeternam ab eo expectans. Sciat nihil eorum quae recipit suum esse quomodocumque et quacumque ratione [64] recipiat. Alienus igitur sit ab omni fraude; ubique timorem Dei prae oculis habeat. Nihil temere ex se praesumat, ubi verisimiliter credit abbatis non esse voluntatem. In quavis re grandi, nova ac speciali abbatis consilium requirat. Non sit nimis imperiosus vel animosus in verbis et actibus suis, sed sit humilis, mansuetus, rationabilis et strenuus. Tam ipse quam dispensator in omnibus suis exterioribus occupationibus rectam simplicemque intentionem habeant. Propter officia sua non se nimium elongent ab exercitiis spiritualibus, neque vacent otio et ineptis fabulis, sed ad interna sollicite recurrant. Lectioni et orationi, quando commode possunt, insistant, praecipuisque actionibus conven-

tualibus, quantum per occupationes licet, praesentes se exhibeant.

Hi et alii quibus res aliquae vel officia committuntur, remunerationem laborum suorum non in praesenti sed in futuro saeculo expectent, et ea quae sibi credita sunt tanquam ipsius altaris vasa custodiant, nihil sua negligentia permittentes perire. Si videatur necessarium, fient Indices sive Inventaria, quibus quisque descripta habebit ea quae custodienda accepit. Quorum Indicum exemplaria abbati, si ita ipse jubeat, tradentur. Exemplaria Indicum continentium ea quae sacrista in pretiosioribus rebus et librarius in communibus libris custodienda acceperunt, reserventur in arca communi, si modo tam multa sunt ut de eis Indices repositorii fieri debeant. Quando aliquis in officio prioris vel superioris instituendus vel quando a tali officio absolvendus erit, abbas hoc faciet in loco capitulari, si praesens esse potest; alioqui congregationem fratrum ad se vocet, atque [64v] coram eis faciat. Nam ubi conventus cum abbate congregatus fuerit, ibi capitulum esse censetur. Si tamen absens esset a monasterio, posset hoc per litteras facere. Minora officia, etiam absente congregatione, abbas cuivis imponere et a quovis recipere poterit.

Quantum ad facultates et externa bona monasterii attinet, sollicite provideatur, ne lites propter illa nimis facile adversus aliquem suscipiantur; verumtamen ea rationabiliter custodiantur et defendantur. Sane honestius est concordiam per arbitros vel oblatam amplecti, vel etiam non oblatam quaerere quam leviter causas agere. Sed et praestat interdum sustinere modicam jacturam rerum temporalium, prudenter silendo, et in Deo sperando, quam magnum pati dispendium internorum, pertinaciter pro externis litigando. Igitur externis interna, caducis aeterna semper praeferrantur, majorque cura habeatur spiritualium quam

temporalium <sup>(1)</sup>. Non regnet in viris Deo dicatis inordinatum habendi desiderium. Non regnet plura conquirendi pernicioſa cupiditas, quae in multis congregationibus disciplinam religionis saepius evertisse cognoscitur. Non regnet etiam turpis il-liberalisque tenacitas, sed eleemosynae juxta monasterii facultates cum charitate fiant. Nam quae supersunt monasteriis, non tam ipsorum monasteriorum quam pauperum bona sunt. Fratrum numerus juxta reddituum proventus vel expensarum necessitates rationabiliter et convenienter habeatur.

### CAPUT XXIII.

#### [65]. DE COMMUNI ARCA SEX COSTODIBUS ET TRACTATIBUS COMMUNIBUS

Sit in loco bene munito ac tuto commune armarium, sive communis arca, sex diversis seris firmata, quarum serarum abbas habeat clavem unam, prior unam, supprior et alii tres, quos communi consensu fratres ad hoc elegerint, reliquas tres habeant. Hos sex appellamus sex custodes. Si non habetur supprior in congregatione, clavem quae ipsi competit, abbas tradat cui voluerit. Ad eligendum quemlibet ex aliis tribus custodibus unam horam habeant, in qua, si minus concordaverint, abbatis erit deinceps nominare et constituere pro custode quem voluerit. Quantum commode fieri potest, nunquam aperiatur ipsa arca communis, quin sex diversi semper praesentes sint, si modo tot sint monachi in monasterio quando illa aperiri debet. Quare si aliquis custodum tunc absens fuerit, alius quispiam, qui ex custodum

<sup>(1)</sup> Haec verba « quantum ad facultates... » usque ad « Spiritualium quam temporalium » inseruit auctor Vitae (c. 19, p. LXVI).



numero non est, substituatur in locum ejus, ut senarius numerus praesentium semper habeatur.

In hac arca sigillum conventus servetur. Nam abbas suum apud se sigillum tenebit, praeter quem nullus alius fratrum particulari sigillo uti praesumat. In eadem arca professiones novitiorum repnantur, non rumpendae neque dissipandae antequam moriantur hi qui eas professi sunt. Similiter archetypha privilegiorum vel bonorum ecclesiae ibidem conserventur. Praeterea in ipsa eadem communi arca reservetur unum exemplar regulae, statutorum et caeremoniarum, unum exemplar indicis phylacteria reliquiarum caeteraque vasa pretiosiora sacristae commissa continentis [65v] et unum exemplar Indicis libros communes librario creditos declarantis, si modo tam multa sunt phylacteria reliquiarum et tam multi libri communes ut de eis Indices repositorii fieri debeant. Etiam una mensura regularis portionis vini in eadem communi arca perpetuo servetur. Si aliqua pecuniae summa notabilis ex facultatibus monasterii collecta habetur, quae ordinariis certisve usibus non est necessaria, eam in praedictam arcam communem deponi et servari poterit. Si necesse fuerit plures habere arcas communes, plures habeantur.

Porro ipse sacrista, si multa pretiosa conservanda acceperit in philacteriis reliquiarum et aliis similibus, de eis reddat singulis annis vel de biennio in biennium aut certe de triennio in triennium rationem coram custodibus hoc modo. Index qui illa omnia continet ex arca communi proferatur perspicieturque an numerus ipsorum philacteriorum seu vasorum, quae sacrista commonstrabit et exhibebit, conveniat cum numero et descriptione eorum quae in illo Indice annotata habentur. Librarius quoque, si multos libros communes habet suae custodiae deputatos, de ipsis simili modo reddat rationem coram eisdem custodibus. Circa festum Visitationis Beatae Mariae haec fient aut alio tempore magis oportuno. Non facile aliquid magnum in negotiis transigat abbas absque maturio-



rum vel expertorum consilio, imo vero quando aliqua multum ardua tractanda sunt, quae totam communitatem concernunt, tota congregatio professorum convocetur ad consultandum. Quibus congregatis palam exponatur [66] causa propter quam sunt vocati. Deinde vel omnes simul vel singuli per ordinem interrogari poterunt quid de praesenti negotio sentiant.

Et quidem quilibet, dum interrogatur, cum omni humilitatis subiectione et timore Dei libere respondeat atque loquatur quod secundum Deum in vera conscientia judicaverit expedire, non alicui in hac parte vitiose gratificari studens, sed Deo placere ac veritati adhaerere desiderans. Nullus ibi suam opinionem pertinaciter defendat, sed discretioni superioris potius relinquat omni contentione et vociferatione exclusa. Si rem non intelligit, modeste id fateatur, asserens se saniores partem prudentiorumque determinationem sequi cupere. Superior quod quisque dederit consilium libenter et patienter audiat, neminem propter simplicitatem contemnens. Postea autem cum maturioribus seu expertioribus opiniones auditas considerare atque examinare poterit, ut quas illi secum communi decreto saniores rationique seu divinae legi conformiores esse judicaverint, eas in nomine Domini sequatur.

Si quando aliquis egerit quod minus conveniens esse videatur, non propterea male inter se de eo loquantur fratres neque murmurationum diabolicas excitent tragoedias, sed statim ad ipsum unus aut plures ex discretioribus seu principalioribus mitti, vel etiam ultro venire poterunt, cui cum omni humilitate indicabunt congregationem fratrum propter hoc vel illud contristari. Quibus auditis abbas, si viderit rationabile et justum esse quod [66v] adferunt, non verecundetur mutare quod egit aut agere disponit, et sine aliqua manifesta perturbatione suscipiat eorum expositionem. Non admittat abbas aliquem ad professionem absque consensu totius conventus vel

majoris partis ejus. Sed et ubicumque alias consensus totius conventus vel majoris partis ejusdem necessario habendus est, ipse per se nihil attentet. Litteris, quae non nisi cum consensu conventus tradi possunt, abbatis et conventus sigillum appendatur. Pensiones beneficiorum ecclesiasticorum non permittantur assignari super bona monasterii, nisi illi qui petunt eas assignari, sic obligent se vel suos, ut ipsum monasterium nullum omnino damnum nullamque molestiam ex tali assignatione pati possit.

#### CAPUT XXIV.



#### DE DIVERSIS CONSTITUTIONIBUS, QUAE A FRATRIBUS OBSERVARI DEBENT

Nullus fratrum tam indiscretus sit ut aliquid voveat, quod adversetur obedientiae seu religioni. Quod si frater professus id praesumpserit, abbas votum rescindat et irritum faciat. Sane cum suae potestatis non sit monachus, votum ejus firmum et ratum non est sine consensu sui praelati. Nullus etiam investorum aut professorum aliquem e sacro fonte baptismi suscipiat; si abbati ex dispensatione seu privilegio licitum fuerit nonnumquam acquiescere, dum a singularibus personis rogatur, ipse tamen neque compatrem neque comatrem appellet parentes prolis a se susceptae. Nullus temere se implicet matrimonii tractatibus. Si requiratur in ea re consilium alicujus fratris, ipse simpliciter et breviter respondendo quod secundum Deum est absolvat se et expediat.

Nulli liceat pastoralis curae officium in saeculo acceptare, nisi ad hoc pro bono Ecclesiae sanctae evocatus fuerit et Summus pontifex permiserit. Nullus artem quae vulgo alchimia dicitur exerceat. Nimis magna canum multitudo in monaste-

rio temere non alatur. Non licet monachis dare operam venationibus, quum sacri canones id districtissime vetent. Non stent publice neque aliquando procedant fratres manibus irreligiose a tergo reflexis, aut ad latera inepte positis, velut si ansati essent, sed verecunde et monastice ubique se habeant. Nullus libros communes, parietes, sedes, mensas, amphoras, cyphos et caetera hujusmodi praesumat dehonestare incisionibus, inscriptionibus vel delineationibus. Mendae tamen in libris [occurrentes decenter a quolibet] <sup>(1)</sup> castigari poterunt, nisi aliter ordinaverit Superior.

Nullus alteri nomen aut cognomen ignominiosum imponat; nullus alterum irreligiose derideat. Unusquisque consuescat in quotidiano et familiari sermone nomini cujuslibet monachi sacerdotis de congregatione praefigere hanc dictionem *Domnus*, et nomini ejus qui investitus quidem est, sed nondum ad sacerdotii gradum pervenit praefigere hanc dictionem: *frater*. Verumtamen dum aliquis suum proprium nomen edere aut scribere habet, sive sit sacerdos sive non sacerdos, potest illud nudum absque talium dictionum praefixione edere. Abbas *Domnus* appellabitur vel *Pater* et *Dominus reverendus* seu *pater reverendus*, quamvis nomen patris etiam cuilibet seniori vel sacerdoti competat.

Si aliquis, priusquam reciperetur in congregatione habuerit titulum magisterii vel cujuslibet alterius dignitatis, post investitionem omittetur hujusmodi titulus. Juvenes transeuntes ante sacerdotes caput aliquantulum nudent, et quolibet grandiori sternutante modice inclinent. Si junior superbe aut praesumptuose responderit aut locutus fuerit sacerdoti, districtissime puniatur. Similiter qui alterum convitiis impetere aut sua propria auctoritate cedere vel alteri minari aut verba aliqua turpia, inhonesta, scandalosa, irreligiosa

(1) Haec verba in Cod. Remen. reperiuntur.

atque a modestia et verecundia monastica prorsus aliena serio vel etiam per jocum proloqui praesumpserit, omnino gravi vindictae subjiciatur.

Fratres, sive nobili sive humili genere sint orti, in congregatione ordines suos teneant. Qui hoc die ingreditur seu suscipitur, praecedat eum qui die crastina ingredietur, nisi ad praesidentiae dignitatem is qui ultimo ingressus est assumptus fuerit; aut nisi alioqui abbas ex causa rationabili atque evidenti eum preposuerit. Sacerdotes praecedant alios non sacerdotes; diaconi praecedant subdiaconos; subdiaconi praecedant non constitutos in ordinibus sacris. Si is qui cras ingredietur ut fiat monachus assumptus fuerit ad sacros ordines ante eum qui hodie ingreditur, quamdiu iste non fuerit constitutus in ordinibus sacris, sequetur illum. Sed ubi ad aequalem gradum cum illo pervenerit, praecedat eum qui ante eum ingressus seu ad monachatum susceptus fuit.

Si aliquis superbiat propter locum aut ordinem suum [68] despiciens inferiores vel contumeliose eis insultans, superior sicut judicaverit esse expediens absque indiscreta dissimulatione puniat eum. Etiam serio puniatur qui alterum humile aliquod officium aut opus ex obedientia peragentem subsannaverit vel irriserit. Si quispiam honestus frater ac pius, in aliquo noto monasterio ordinis sancti Benedicti professus, petierit assumi in congregationem, diligenter consideretur utrum rationabilis sit causa propter quam relinquere cupit monasterium in quo professus est, et utrum tuta conscientia posset admitti, et num constet de ejus licentia, ne forte abbate ejus nullatenus consentiente retineatur.

## CAPUT XXV.

## DE SUSCIPIENDIS

## INVESTIENDIS ET INSTITUENDIS NOVITIIS

Quando ad nos aliquis venit, ut in militiam Christi assumptus, monasticae conversationis habitum suscipiat, etiam si senior, eruditus, nobilis aut alioqui in dignitate constitutus sit, antequam investiatur, ista scriptura prognostica de verbo ad verbum ei tradatur: Charissime, si in societatem nostram assumi, et nobiscum in monasterio vivere Christoque Domino servire desideras, oportet imprimis ut opere compleas quod dicit Salvator: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam quotidie et sequatur me.* Si igitur paratus es propter Deum omnia dimittere et teipsum vere abnegare; si paratus es penitus relinquere tuas voluntates et frangere quantum in [68v] te est, tuas vitiosas inclinationes ac passiones, si paratus es viriliter abrenuntiare omnibus saeculi pompis, voluptatibus et illecebris; si paratus es cum Dei adiutorio relinquere omnem superbiae fastum et quaelibet humilia simpliciaque amplecti; si paratus es propter amorem Christi sustinere increpationes, injurias, tentationes, variasque corporis et cordis molestias atque pressuras; si inquam, paratum te sentis ad omnia hujusmodi complenda et toleranda, securus monasticam conversationem assumere potes, confidens de benignissima Dei misericordia. Alioqui si non es paratus ad omnimodam tui derelictionem, non expedit ut religionem irreligiose ingrediaris.

«In monasterio, non tuo, sed alieno arbitrio vivere et in omnibus humilem obedientiam exhibere debebis. Quando aliquid tibi praecipie-



tur secundum Deum et sanctae religionis convenientiam, oportebit ut illud sine contradictione aut murmure perficias. Quando optabis quiescere, forte fatigaberis laboribus; quando ad sublimia te praeparabis, forte dejicieris ad infima; breviter, quando hoc vel illud facere volueris, forte dicetur tibi ut aliud facias, et in omnibus adniti debebis ut promptissime sequaris voluntatem praecipientis. Neque aliquando dicere poteris: In his paratus sum obtemperare, sed in illis obtemperare nolo. Oportebit ut simpliciter obtemperes in omnibus quae rationabiliter praecipientur et quae non sunt in se mala vel sanctae professioni contraria.

«Tu quidem diversas tribulationes et difficultates [69] frequenter senties in hujusmodi contractione voluntatum et inclinationum tuarum. Saepe diabolus, saepe caro vel homines verum Dei timorem non habentes tibi suggerent ut murmures et contradicas, sed necesse erit te patienter tolerare et perseverare in sancto proposito et pessimas suggestiones repellere. Non jam tibi licitum erit superflua delicataque intempestive requirere. Non erit licitum inhonestis dissolutionibus vel caeteris vitae remissae ineptiis vacare, sed relicta prorsus lubricitate et vanitate mundi, relicta lata via saecularium, debebis per arctam et laboriosam poenitentiae viam ingredi omnibus diebus vitae tuae.

«Debebis simplicitatem vel etiam penuriam rerum necessariorum sustinere, frequenter jejunare, perpetuam castitatis integritatem servare; orationibus, meditationibus sacrisque lectionibus insistere; taciturnitatis et silentii disciplinam observare; vitam a saecularium consortio abstractam ducere; monasterium raro egredi, nullam omnino rem quantumvis modicam proprietarie habere, puritati cordis jugiter studere, sola caelestia quaerere, die et nocte infatigabiliter officio ministerioque divino assistere, sive sit aestus sive frigus. Denique omnibus quae sanctae religioni conveniunt fideliter adhaerere; et omnia quae eidem

religioni contraria sunt prudenter rejicere. Quod, si timore Dei relicto, quod absit, inceperis negligenter vivere, vel etiam superbia, inobedientia, murmurationibus atque contradictionibus superiorem ceterosque fratres conturbare aut gravare, scire debes quia districte omnino punieris.

Verumtamen non te absterreant supradictae difficultates [69v], sed tu de te prorsus diffidens, in Domino Jesu omnem tuam fiduciam repone. Ipse enim confirmat debiles et jacentes erigit. Ipse aspera reddit plana et amara convertit in dulcia. Ipse ea quae hominibus importabilia videntur, non solum facillima, sed etiam jucundissima per suam gratiam efficit. Ipse est qui dixit: *Venite ad me omnes qui laboratis et oneratis estis, et ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos et discite a me quia mitis sum et humilis corde. Iugum meum suave est, et onus meum leve.* Aditus viae salutaris plerumque angustus, tristis et difficilis est; sed postea crescente amore divino cordeque per charitatem dilatante cum inenarrabili gaudio perficitur iter mandatorum Dei. Ipsi honor et gloria in saecula saeculorum Amen».

Si hac prognostica scriptura lecta, ipse se ad omnia complenda observandaque paratum esse firmaverit, priusquam tamen serio ingrediatur suscipiaturque ad monachatum, id est priusquam investiatur, conversatio ejus ad aliquot dies vel ad aliquot hebdomadas aliquotve menses sub habitu saeculari in congregatione perficiatur. Et interim abbas, si judicaverit esse necessarium, interroget eum, aut per priorem interrogari faciat coram aliquot ex maturioribus, in his aut aliquibus horum: An occulto seu incurabili laboret morbo; an de aliquo monastico ordine exierit; an fide matrimoniali, servitute vel debitis sit obligatus; an sit illegitimus; an bigamus; breviter an impedimentum aliquod patiat quod minus religionis onera sustinere vel ad sacros ordines procedere possit.

Nullus conjugatus suscipiatur, uxore sua in saeculari vita permanente [70], etiam si consen-

sus ipsius conjugis intervenerit. Et hi qui ex thoro illegitimo nati sunt non recipiantur, nisi dispensationem habeant; qua habita libere ad sacros ordines promoveri possunt, a quorum sacrorum ordinum susceptione omnes bigami excluduntur.

Ad investitionem nullus unquam admittatur ante annum decimum nonum. Si aliquis latinae linguae ignarus forte susceptus fuerit in monasterium, omnino abbas provideat commodum instructorem ex numero fratrum, aut certe honestum aliquem saecularem, ex quo ille litteras competenter discere valeat, ut latinam linguam intelligens utiliter cum caeteris sacrae lectioni suo tempore intendere possit. Ad quod si abbas minus curaverit, ubi jam tempus professionis advenit, fratres prorsus illiteratum atque inidoneum profiteri non consentiant. Numquam investiatur neque ad professionem admittatur is quem constat non fieri voluntarie monachum. In ipsa susceptione novitiorum peccatum simoniae non committatur, nec lucrum rerum temporalium vitiose spectetur, sed morum honestas vitaeque integritas exquiratur.

Caeterum novitii investiendi haec ratio erit. Die statuto, ipse novitius regulari tunica indutus et desuper zona cinctus, adducatur a magistro juvenum in capitulum, dum post *De Profundis* legitur collecta pro Defunctis; nam isto die non intererit ipse novitius agenda capitulari. In quem locum manibus veluti ad supplicationem junctis ingressus prosternat se ante abbatem. A quo interrogatus quid petat, respondeat, *Misericordiam Dei et vestram societatem*. Quibus verbis a novitio dictis, lector, qui legit consuetam lectionem in capitulo mox recitet cum accentibus ex integro scripturam prognoristicam nullum titulum praemittens, addens tamen in fine [70v]: *Tu autem Domine etc.* Qua scriptura prognoristica completa, ubi fratres dixerint *Deo gratias*, abbas dicat ad novitium: *Ecce charissime tu audivisti ad quae oportet te esse paratum, adhuc perseveras in propo-*

sito? Si ille in divino auxilio confidens, responderit: *Persevero, pater, per gratiam Dei*, abbas addat: *Nos quoque gratum habentes tam laudabile propositum conferimus tibi nostram societatem, in quantum perseveraveris et aptus fueris, notumque facimus quod si tu ante professionem abire volueris, poteris libere discedere, et nos si interim invenimus te ineptum ad monachatum, poterimus etiam invitum dimittere.* Adjungat quoque abbas sine accentu: *Adjutorium nostrum in nomine Domini; Salvum fac servum tuum; Dominus vobiscum; Oremus: Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut sicut hic famulus tuus comam depositurus capitis etc.* Postquam fratres responderint *Amen*, ipse acceptis forficibus modicum crinium a capite novitii detruncet rursusque dicat sine accentu: *Dominus vobiscum; Oremus: Piissime Domine Jesu Christe, qui arctam et angustam viam jussisti arripi etc.* Ubi fratres responderint *Amen*. cucullam quam apud se habet complicatam, tradat novitio dicens: *Accipe tuae petitionis effectum, et vade in pace. Dominus qui coepit in te, ipse perficere dignetur.* Quibus dictis, novitius cucullam complicatam utraque manu gestans egrediatur, magistro sequente. Si abbas aegrotat, et ad locum capitularem venire non potest, aut priori injunget officium investitionis, aut certe ad locum in quo (ipse) est convocabit conventum et ibi complebit officium. Novitius egressus ducatur ad tonstrinam, ibique abrasis capillis juxta consuetudinem monasticam, insigniatur tonsura praegrandi, relicto tantummodo crinium stricto circulo. Deinde magister vestiatur eum regulari scapulari et cuculla manicis carente. Eodem die confiteatur et ad sacram communionem accedat ipse novitius. Vestimenta, quibus ante investitionem induebatur, diligenter et integre conserventur, nec aliquid bonorum aut jurium ejus, durante probatione, alienetur, etiamsi ipse desideraverit. Tempore professionis instante, disponat de suis rebus, sicut voluerit, pro salute animae suae. Nunquam



minus quam unum annum probetur novitius, cujus probationis primus dies aestimabitur dies investitionis, quamvis diutius, causa rationabili requirente, probari possit. Anno tamen finito, si ipse non videtur ineptus ad profitendum, non nimium differatur ejus professio absque necessitate.

Quod si forte ante professionem recesserit vel dimissus fuerit, priusquam abeat, abradatur aut tonsetur circulus capillorum in capite ejus. Nunquam investiantur plures eodem die. Si, probatione durante, migraverit de vita novitius, quilibet sacerdotum ter missam pro eo, et quilibet eorum qui non sunt sacerdotes vel qui celebrare non valent leget ter trinam Orationem Dominicam; in caeteris quidquid sacri officii pro professo fieri solet, fiat pro eo. Nullus post investitionem mittatur facile extra monasterium ad discendas litteras, nisi locus in quo habitaturus esset, habeat [71v] congregationem secundum monastici status exigentiam laudabiliter viventem. Nullus etiam ante professionem mittatur ad sacros ordines suscipiendos, ne forte post eorum susceptionem absque professione discedat et cogatur monasterium necessaria ei providere.

Nullus fratrum inferat se regimini seu correctioni juvenum praeter superiorem et magistrum eorum. Quilibet tamen dum juvenem in aliquo offendere, et indecenter aliquid loqui aut facere considerat, moneat eum, vel etiam superiori aut magistro morum indicet.

Qui morum magister semper attendat quam exactam conversationem ratio officii sui a se exspectat. Sit providus, prudens, discretus et diligens. Non sit furibundus vel nimis austerus neque rursus nimis mollis et remissus. Acrimoniae rigorem cum benignitatis dulcedine temperet, sicque gravis pariter et affabilis sit, ut eum discipuli bonae voluntatis non horreant tanquam tyrannum et discipuli negligentiores non contemnant tanquam puerum. Non crines, non aures eorum vellat, non



colaphis, non alapis eos caedat nec quovis modo per iram impellat.

Nulli eorum infligat disciplinam verberum absque superioris scitu vel licentia speciali aut generali; aliis convenientibus modis eos punire poterit, nulla petita licentia. Non intempestive dissimulet dum delinquant, sed serio eos corripiat vel corrigat, nunc mitius, nunc acrius, sicut fuerit necessarium. Si quis discipulorum conquestus fuerit irrationabiliter de ejus austeritate, talis a superiore vel superioris jussu ab [72] ipso magistro vel ab aliquo alio districtissime puniatur. Sit idem magister humilibus et obedientibus discipulis tanquam pius pater vel pia mater; duris vero et indisciplinatis atque inobedientibus sit tanquam asper corrector. Verumtamen vulneribus eorundem indisciplinatorum non vinum tantum sed etiam oleum opportune infundat ut curentur.

Exactam cognitionem eorum quae in regula, statutis et caeremoniis continentur, habere satagat. Diligenter moneat discipulos atque hortetur ad pietatis studia, ad spiritualem profectum, ad veram humilitatem et perfectam obedientiam, ad sincerum Dei amorem et sanctarum orationum vel meditationum devota exercitia. Nam haec praecipue sunt necessaria et sine eis monachus non est monachus. Contineat eos, quantum fieri potest, in omni disciplinae monasticae honestate interna et externa. Ubique circa eos vigilet, maxime circa adolescentes seu pueros. Dum tempus est colloquiorum et spatiamenti, sollicitus sit ne insolescant et notabilibus levitatibus atque dissolutionibus resolvantur. Si ipse morum magister suos discipulos in litteris propter impedimenta seu propter alias causas instruere non potest, et tamen tali institutione illi adhuc indigent, abbas alium ad id aptum deputet monachum seu saecularem, sicut superius dictum est.

Et qui deputatus fuerit nihil ultra curam sibi commissam in juvenes praesumat, atque istam institutionis rationem, quantum commode fieri po-

test, sequatur. Traditis rudimentis grammatices jactoque necessario fundamento, hujusmodi libros eis praelegat ex quibus cum [72v] litterarum peritia vel pietatem discere vel certe non discere vanitatem aut iniquitatem possint. Sane nihil est in quo convenientius et utilius suo tempore versari poterunt quam in Sacra Scriptura vel sanctorum atque orthodoxorum patrum monumentis, adferentes illuc mentem humilem et a vana curiositate alienam. Moneantur sedulo ipsi juvenes ne sic elegantiam verborum ament ut ea quae ineleganter sed utiliter scripta sunt contemnant. Nisi enim juvenus, quae exercetur in litterarum studiis, freno timoris divini contineatur, facile amore eloquentiae correpta illectaque dulcedine, curam pietatis deseret, et effecta velut ethnica ac sine Deo abibit in vitiorum praecipitium. Nullus junior magisterio particularis magistri vel ab institutoris particularis institutione exemptus censeatur, quousque a Superiore eximatur, etiam si sit subdiaconus aut diaconus.

## CAPUT XXVI.

### DE PROFESSIONE NOVITIORUM

#### ET PRIMITIIS NOVELLORUM SACERDOTUM

Ad professionem nullus unquam admittatur ante annum aetatis vigesimum et non profiteantur plures eodem die. Quando autem novitius profiteri habuerit, die statuto adducatur ante abbatem in capitulum, nam tunc non intererit agenda capitulari, aut in alium locum, ubi congregatio fratrum sit praesens, sicut die investitionis, nisi quod hic erit indutus cuculla et caeteris vestimentis probationis. Interrogatus ab [73] abbate quid petat respondeat: *Misericordiam Dei et vestram so-*

*cietatem. Post quae verba, lector statim subjiciat ex integro scripturam prognosticam, sicut in investitione. Et ea finita, abbas ad novitium dicat: Ecce, charissime, tu audivisti ad quae oporteat te esse paratum, adhuc perseveras in proposito? Si ille per gratiam Dei perseverare responderit, abbas subjungit: Adjutorium nostrum in nomine Domini; Salvum fac servum tuum; Dominus vobiscum; Oremus: Püssime Domine Jesu Christe etc. sicut in investitione. Deinde addat: Vade in pace et melius apud te delibera, diligenter invocans divinum auxilium. Egressus itaque ille a capitulo, veniat in oratorium, ibique precetur donec ceteri a capitulo redeant.*

Postea praeparet se ad communionem, et professionis suae verba propria manu conscribat, si scribere potest, adhuc subscribens proprium nomen et cognomen. Si non potest scribere, alter ab eo rogatus, id faciat. Sexta canonica finita, cui novitius tunc non intererit, et officio aquae benedictae, si est Dominica, completo, abbas veniat in presbyterium; et facta inclinatione, constituat se in medio altaris. Dum autem ascendit in ipsum presbyterium, statim et quasi e vestigio adducatur illuc novitius, qui perveniens ante altare prosterнат se ante pulvinaria. Abbas igitur conversus ad eum interroget quid petat. Ille corpus erigens, et in genibus permanens respondeat: *Misericordiam Dei et vestram societatem.* Abbas subjungat: *Deus petitionem tuam exaudiat et desiderium in bonum accumuliet;* et addat: *Charissime, ex his quae hactenus apud nos audivisti, satis intelligere potes legem, sub qua te militare oporteat. Si tibi non placet, [73v] sicut liber venisti, ita etiam liber discede; si vero placet, dic palam.*

Novitius si omnino profiteri vult, confidens in divino auxilio respondeat: *Placet, pater, per gratiam Dei.* Quo dicto, cantetur genibus flexis antiphona *Veni Sancte Spiritus.* Abbas eam incipiet, et subjunget versiculum *Emitte Spiritum tuum* atque addet sub unica conclusione duas collectas,

videlicet: *Deus qui corda fidelium; Actiones nostras, quaesumus Domine.* [Quibus completis abbas rursus conversus ad novitium adjiciat] <sup>(1)</sup>: *Iterum tibi dico, charissime, si non placeat observantia regularis, liber discede; si vero placet, declara, et lege in nomine Domini id quod profiteri vis.* Ille igitur tenens utraque manu librum clausum, qui compendiarium regulam beati Benedicti et haec statuta ex integro contineat, tenens etiam super eundem librum chartam suae professionis, alta satis voce et distincta prolatione legat ex charta ipsam professionem suam sub hac forma: *Ego frater talis promitto stabilitatem et conversionem morum meorum atque obedientiam secundum hanc regulam sancti Benedicti, et haec statuta sanctae religionis, coram Deo totaque curia coelesti in hoc monasterio quod constitutum est in honore talis sancti vel talium sanctorum in praesentia talis abbatis, tali die et anno.*

Si non abbas, sed prior nomine abbatis forte suscipit professionem novitii, ipse novitius proficiens dicet ad finem suae professionis: *In praesentia talis prioris gerentis vices Domini talis abbatis.* Sciendum autem quod loco harum dictionum talis et talium quas posuimus propria nomina exprimentur. Novitius professionem a se perlectam offerat super altare, sumptoque calamo et atramento, figuram crucis ibi in ea imprimat. Deinde reversus ad altare cantet [74] ter: *Suscipe me Domine,* conventu eundem ter repetente, et post tertiam repetitionem addente: *Gloria Patri;* quibus finitis, mox abbas dicat: *Salvum fac servum tuum; Dominus vobiscum; Oremus.* Et ita super novitium recitet tres collectas: primam collectam diriget ad Patrem, secundam ad Filium, tertiam ad Spiritum Sanctum. Finita conclusione cujuslibet collectae conventus respondebit *Amen.*

(1) Ex Cod. Remen.



Postea abbas cucullam et scapulare separatim posita ac plicata benedicat his verbis: *Adjutorium nostrum in nomine Domini; Oremus: Domine Jesu Christe, qui tegumen nostrae immortalitatis etc.* Deinde eadem vestimenta aspergat aqua benedicta, et dicat ad novitium: *Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus tuis et induat te novum hominem qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. Amen.* Et ita exuatur novitius cuculla non manicata et scapulari induaturque cuculla manicata et scapulari benedictis. Abbas deinde dicat: *Dominus vobiscum; Oremus: Domine Deus bonarum virtutum dator, etc.,* qua collecta finita, mox concantetur sub tono inconsueto psalmus: *In exitu Israel de Aegypto,* quo inchoato novitius surgens et ad pedes abbatis brevem genuflexionem faciens, submisse dicat: *Ora pro me, pater.* Quem statim elevans erectumque veluti complectens et suam genam dexteram dexteræ illius genæ honeste applicans eum deosculetur ac dicat *Pax tecum.* Similiter ante ministros altaris ac deinde ante singulos alios professos novitius per ordinem genua flectat et a singulis erectus pacis osculum suscipiat ritu jam expresso. Psalmo cum *Gloria Patri* finito et novitio ante altare regresso, genuaque [74v] flectente, abbas pronuntiet haec verba: *Benedictio Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus sancti descendat super nos et maneat semper; caeteri respondeant: Amen.*

His ita peractis, veniat novitius ad locum sibi deputatum. Et sacerdos cum ministris se prae-  
paret, missaque gratiarum actionis de sancta Trinitate solemniter cantetur cum collecta: *Deum qui nos a saeculi vanitate conversos etc.,* nisi alia missa eodem die specialis et celebris habeatur. Si cantetur alia missa quam missa gratiarum actionis de Trinitate, fiet in ea commemoratio pro professo per collectam supradictam. Si est dies Purificationis Mariae aut dies Palmarum, novitius profitebitur antequam cerei vel rami benedicantur.



tur. Sciendum autem quod per professionem monasticam extinguuntur quaelibet vota particularia ante professionem facta. Quare si is qui profiteretur astrinxerat se prius per votum ad aliqua jejunia vel ad aliquas orationes seu ad aliquas peregrinationes vel quaecumque particularia opera, liber omnino erit ab illis votis post professionem.

In primitiis novi sacerdotis, ipse novellus sacerdos casula indutus, priusquam legat confessionem generalem quae missae praemittitur, flexis ante altare genibus, imponat hymnum *Veni creator Spiritus*, et eo per fratres etiam flexis genibus praecantato, legat confessionem generalem. Qua finita, sicut consuetudo est, accedat ad altare. Missa cantabitur solemniter eritque de Sancto Spiritu, nisi illa quae alioqui ea die cantanda occurrit multum sit celebris. Quod si cantatur alia missa quam de Sancto Spiritu, fiet nihilominus [75] in ea commemoratio de eodem Spiritu Sancto per collectam *Deus qui corda fidelium* etc. Non fiat tunc ab amicis pecuniarum oblatio sub offertorio Missae. Non mittatur aliquis ad sacrum sacerdotii ordinem suscipiendum ante aetatis suae annum vigesimum octavum, nisi necessitas compellat aut grandis causa requirat. Porro ipsis diebus professionum et primitiarum non advocetur magna multitudo amicorum seu parentum illorum qui profitentur vel primitias celebrant, ne ea occasione excessus fiant et solemnitas in dissolutionem vertatur. Aliquot tantummodo ex praecipuis seu vicinioribus juxta abbatis ordinationem et voluntatem invitentur, nisi aliqua necessitas vel valde grandis causa aliud requirat.

## CAPUT XXVII

DE CANONICA ELECTIONE ABBATIS  
ET EJUSDEM CONFIRMATIONE

Quando vacanti monasterio providendum erit de novo pastore per canonicam electionem, fratres praeparent se sicut convenit ad ipsam electionem. Quotidie ipsi fratres quousque novum abbatem elegerint aut habuerint, legant post tertiam canonicam voce remissiori supplicationem, hoc est legant psalmum *Ad te levavi* cum *Gloria Patri*. Deinde adjungant per choros brevem letaniam, id est *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison*. Et dicant in silentio Orationem Dominicam. Ad cujus finem praesidens subjungit: *Et ne nos inducas in tentationem; Salvos fas servos tuos; Domine exaudi; Dominus vobiscum; Oremus: Praetende, Domine, famulis tuis dexteram coelestis auxilii ut te toto corde perquirant et quae digne postulant consequi mereantur. Per Christum Dominum nostrum. Caeteri respondeant convenientia.*

Ispe quoque presidens, congregato capitulo, certum diem cum continuatione dierum sequentium ex communi deliberatione praefiget, ac deinde curabit ut fratres absentes qui vocem in electione ex approbata consuetudine habere noscuntur per litteras conventuales aut alias legitime convocentur. In quibus litteris exprimetur ille dies qui cum continuatione dierum sequentium ad electionem faciendam praefixum erit. Non differatur ipsa electio diutius quam canones permittunt; imo vero fiat quam cito commode fieri poterit.

Ad eam non admittentur ex congregatione cum aliis fratribus hi qui admitti non debent, et

quos constat vocem non habere. Ergo omnibus qui debuerint ac potuerint voluerintque hujusmodi electioni vocatis, die ad eandem electionem faciendam statuto, pulsus sextae canonicae detur hora septima ante meridiem si fieri potest. Et post ipsam sextam cantetur solemnis missa de Spiritu Sancto, cui interesse habebunt omnes electores qui poterint interesse, et sacramentaliter confessi, communionem sacram sub eadem die percipient, nisi aliquis eorum illo die jam celebraverit.

Finita nona canonica, praeparentur in capitulo quae praeparanda sunt. Et post modicum intervallum, sub quo quilibet aliquantulum se calefacere, aut necessitatibus naturae satisfacere possit, tangatur campanella capitularis [76] et hi qui electioni debent interesse congregentur in capitulum. Durante praedicto intervallo quilibet fratrum caveat, quantum fieri potest, a privatis colloquiis et conventiculis, servans rationabile silentium. Postquam convenerint et se in ordinibus suis constituerint, praesidens voce mediocri dicet: *Sit nomen Domini benedictum*, et ubi responsum fuerit: *Ex hoc nunc et usque in saeculum*, ipso praesidente residente etiam alii residebunt. Qui praesidens poterit proponere arduitatem praesentis negotii, monendo fratres ut timorem Dei prae oculis habeant, declarandoque quam execrabile et damnabile foret falso praestare juramentum Deo altissimo.

Quaeret deinde per quam viam iidem fratres ad electionem procedere velint, si adhuc hoc ignoratur. Tres enim vias eligendi decreta sacrorum conciliorum exprimunt, nempe viam scrutinii, viam compromissi et viam inspirationis.

Ubi jam conventus de hac re statuerit et praesidens compleverit ea quae pro necessitate vel exigentia rei fuerint dicenda, cantabitur flexis genibus antiphona *Veni sancte Spiritus*, praesidente eam inchoante, et ad finem ejus subjungente cum accentu: *Emitte spiritum tuum et creabuntur; Dominus vobiscum; Oremus: Deus qui corda; Actiones nostras*. Quibus finitis subjungat etiam cum ac-

centu hanc orationem: *Adsumus Domine sancte Spiritus etc.* In cujus fine ubi dixerit: *Tibi cum Patre et Filio honor et gloria in saecula saeculorum*, ac responsum fuerit *Amen*, fratres surgent et residebunt.

Si per viam scrutinii electio facienda fuerit, praesidens veniet ad medium, flectetque genua juxta scabellum [76v] in quo liber Evangeliorum erit, locans se in parte superiori ejusdem scabelli. Atque ad eum singuli electores per ordinem accedentes et flectentes genua ad alteram partem praedicti scabelli jurabunt in manibus illius; ipse vero jurabit in manibus se immediate sequentis, positus super codicem evangelicum dextris. Cujus juramenti forma haec est: «Ego talis juro et promitto omnipotenti Deo et tali sanctae vel sancto hujus monasterii patrono illum eligere quem credam futurum ecclesiae in spiritualibus et temporalibus utiliolem, nec illi vocem dare quem verisimiliter scivero promissione aut datione alicujus rei temporalis, seu prece per se aut per alium interposita aut alias qualitercumque directe vel indirecte pro se electionem procurare, ita me Deus adjuvet et sancta Dei evangelia». Si plures habentur patroni, nomina eorum exprimentur in forma juramenti diciturque: hujus monasterii patronis.

Quod juramentum ubi ab omnibus electoribus praestitum fuerit, completis caeremoniis, assumuntur tres scrutatores de conventu fide digni. Qui quidem sive per compromissum, sive per patens et publicum scrutinium, sive quolibet alio modo eligantur, nihil refert. Si necesse fuerit, eis adjungantur notarius et testes, alias soli tres scrutatores negotio scrutinii praeerunt. Primus eorum, vel si is non potest, secundus officium scribae peraget; alii duo erunt testes, hinc et inde ei assistentes. Sed antequam procedatur ad ipsum secretum scrutinium, is qui scriba esse [77] debet, veniens ad scabellum, in quo liber evangelicus habetur, dextera super eundem librum posita, faciet promissionem sub hac verborum forma: «Ego



talis promitto me fideliter conscripturum vota fratrum, sicut ab eis dicta fuerint, ita me Deus adjuvet et sancta Dei evangelia». Qua promissione facta, ipsi scrutatores secedant ad partem seu angulum capituli ubi ab aliis sub scrutinio videri sed non intelligi queant.

Illic positi, statim perquirent vota sua inter se, quae etiam per scribam annotabuntur, antequam alii ad eos venerint. Quilibet votum suum proferens dicat simpliciter: «Ego eligo talem in abbatem monasterii nostri», et scriba similiter conscribat cujuslibet votum sub hac forma: «Talis eligit talem in abbatem hujus monasterii». Porro dum datur dumque scribitur quodlibet votum, testes diligenter auscultent et respiciant ne per errorem aliter scribatur quam datur. Ergo postquam scrutatores fuerint se ipsos scrutati et aliis significaverint ut veniant singuli per ordinem, ad eos accedent vota que sua ita submissee proferent ut a solis scrutatoribus intelligantur. Infirmi qui cum aliis praesentes esse non potuerint, antequam dent vota sua, confitebuntur et communicabunt atque etiam juramentum praestabunt more aliorum, nisi forte importunitas tussis aut alia necessitas eos a communione tunc percipienda excuset. Et quidem si non constituerint procuratores qui pro ipsis stent in negotio, vel etiam vice ipsorum certam personam eligant, scrutatores venient ad eos eorumque vota perquirent.

Conscriptis tandem omnium votis, statim in ipso loco in quo conventus est collectus, antequam solvatur congregatio [77v] unus scrutatorum ea publicabit, legendo in communi fratrum audientia intelligibiliter et distincte scripturam eadem vota continentem. Deinde si non omnes consenserint in unum, fiet congrua et debita examinatio seu collatio. Si privilegium habetur per quod non sit necesse facere collationem zeli ad zelum neque meriti ad meritum, sed solum numeri ad numerum, res faciliorem et celeriore poterit sortiri exitum. Tunc enim electio finita erit, si major pars con-



gregationis in aliquem consenserit, modo is sit talis qui eligi possit. Si essent quadraginta eligentes et viginti ex eis consentirent in aliquem, non esset res perfecta, sed oporteret ut viginti et unus consentirent in aliquem.

Postquam electio certa et rata fuerit, ea pronuntiabitur coram omnibus per priorem vel per alium a conventu deputatum sub hac verborum forma: «In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Ego talis vice illorum qui in talem consenserunt et mea eligo talem in abbatem hujus monasterii et pastorem». Si vota in plures non fuerint divisa, id est, si omnes electores consenserint in unum aliquem, is qui pronuntiat electionem, sic dicet: «In nomine Patris etc. Ego talis vice omnium nostrum eligo talem in abbatem hujus monasterii et pastorem».

Si per viam compromissi electio fuerit facienda, praesidens requirat diligenter utrum ea via omnibus placeat. Neque enim per formam compromissi [78] erit procedendum, nisi omnes, etiam hi qui infirmi sunt, consentiant aut consensu ab omnibus dato perquirat praesidens, quibus personis fratres velint committere vices suas, id est quem vel quos velint habere compromissarios, qui nomine omnium ecclesiae viduatae provideant de novo pastore. Tales assumi debent qui ad id muneris non sint inhabiles. Quod si conventus de eisdem nequeat convenire, potest uni vel pluribus qui eos nomine omnium eligant, committere vices suas. Postquam in eosdem compromissarios potestas eligendi translata fuerit, quilibet ipsorum statim debet praestare juramentum juxta formam superius expressam.....: «Ego talis juro et promitto omnipotenti Deo etc.»

Consultum videtur ut in compromisso dies certus sive hora exprimatur, infra quem vel quam ipsi compromissarii electionem peragere debeant, ut si tempore praefinito non providerint, eligendi potestas ad fratres libere revertatur. Ubi ipsi compromissarii, servatis his quae servari debent, super

electionem certae alicujus personae concordēs fuerint, unus eorum aliis annuentibus electum debet vice sua et collegarum suorum in communi audientia pronuntiare seu publicare, et de ipso providere sub hac forma: «In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Ego talis vice talium sociorum meorum et mea, quibus est a toto conventu hujus monasterii de pastore providendi commissa potestas, de tali provideo eidem monasterio et ipsum vice mea et sociorum meorum et aliorum praesentium jus in electione habentium in abbatem eligo et pastorem». Si est unicus [78v] compromissarius, pronuntiabit electionem hoc modo: «In nomine Patris etc. Ego talis cui est a toto conventu hujus monasterii de pastore providendi commissa potestas, de tali provideo eidem monasterio, et ipsum vice mea et aliorum praesentium jus in electione habentium in abbatem eligo et pastorem».

Per viam inspirationis rarissime, peccatis nostris exigentibus, modo fit electio. Dicitur autem ipsa electio per inspirationem divinam fieri, quando omnes simul congregati, subito et concorditer, viva voce aliquem eligunt, nullo prorsus tractatu nullaque instigatione hominis praecedente, ita ut divinitus inspirati credantur et sine vitio rem peragant. Requirit forma inspirationis divinae ut in electum consensus omnium electorum tendat, nam si aliquis contradiceret, etiam si postea consensum daret, non videretur per divinam inspirationem facta electio. Non est necesse in hac eligendi ratione ut per unum communis electio celebretur seu pronuntietur, sicut fit in via scrutinii vel compromissi.

Electione sicut oportet completa et ceremoniis peractis, praesidens ex parte totius conventus requirat ab electo consensum super ipsa electione de se facta. Qui electus meminisse debet quod regimen animarum tutius quidem declinatur quam quaeritur, non tamen pertinaciter declinari debet, quando ad hoc suscipiendum divina ordinatio evo-

cat. Quemadmodum enim superbia est illud [sine trepidatione suscipere, ita rursum superbia est illud] <sup>(1)</sup> dum imperatur nimis obstinato animo recusare, maxime si is cui injungitur jam donis a Deo praeventus est, quibus possit et aliis [79] prodesse. Ut igitur et divinae voluntati non contradicat, et vitio obstinationis non adhaereat, is cui culmen regiminis ex Dei dispositione injungitur, illud et ex corde debet fugere et humiliter obediendo invitus suscipere. Ergo postquam deliberaverit et decreverit consentire, poterit his aut consimilibus verbis suum consensum dare: «Ego talis consentio electioni de me factae, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen». Si ipse electus est absens a monasterio, nihilominus infra octo dies, cessante legitimo impedimento, electio ei praesentari ejusque consensus requiri debet, qui consensus ultra mensem differendus non est.

Porro nihil singularis praeminentiae electus sibi propter electionem usurpet, sed in ordine suo permaneat quosque electio fuerit per confirmatorem approbata, nisi forte prior et conventus eum paulo altiores locum tenere cupiant. Ad quem confirmatorem tempestive mittetur scriptura conveniens per quam confirmatio petetur. Ubi jam electio rite confirmata fuerit, antequam ipsi electo et confirmato realis tradatur possessio, suscipiatur ab eo permissio infrascripti tenoris. Omnibus igitur in capitulum congregatis ante prandium, ipse electus ac confirmatus flectet genua ad scabellum in medio loci praeparatum, ibique tenens sinistra librum regulae et horum statutorum dexteramque super librum evangelicum ponens, promissionem faciet sub hac verborum forma: «Ego talis in abbatem hujus monasterii confirmatus bona fide promitto adhibere [79v] diligentiam ut in ista congregatione vigeat et perseveret rationabilis ac fidelis observantia hujus regulae atque horum statutorum; ita me Deus adjuvet et sancta Dei evan-

(1) Ex cod. Remen.

gelia». Interim conventus stabit in pedes. Praedicta promissione facta, prior sui et totius conventus nomine ducet ipsum novum abbatem ad locum praesidentis, cui etiam sacrista vel alius praesentabit ibi baculum pastorem. Hunc ille susceptum mox deponet et residebit; alii similiter resident. Et quidem ad eundem novum pastorem in loco praesidentiae sedentem singuli professi per ordinem advenient genua ante eum flectentes et manum dexteram dexteræ illius adjungentes sicque obedientiam manualement praestantes. Si est consuetudo, ut hi qui habent officia, depositis apud illum officiorum clavibus, resignent, ipsa sua officia resignabunt. Omnibus tandem completis, congregatio surgat atque in oratorium veniat, eodem abbate inter priorem et suppriorum vel inter duos externos in dignitate constitutos, si ibi praesentes sunt, sequente baculumque pastorem tenente. Interim sollemnis pulsus campanarum fiat.

Cum in chorum perventum fuerit, adducatur abbas ante altare, ibique flexis genibus oret. Caeteri stantes in locis suis cantent hymnum *Te Deum laudamus*; qui per cantorem inchoari debet abbate ingrediente chorum. Quo hymno finito, prior aut supprior vel [80] sacerdos hebdomadarius subjiciat cum accentu: *Salvum fac servum tuum; Dominus vobiscum; Oremus: Pratende Domine super famulum tuum abbatem nostrum etc.* Postquam caeteri responderint *Amen*, abbas adducatur ad formam et locum suum. Quo ibi collocato, unus fratrum in medio chori recitet ex regula et ex his statutis ea quae de officio abbatis dicuntur. Antequam lectionem nulla petetur neque dabitur benedictio, nullus etiam praemittetur titulus; in fine autem addetur solita conclusio: *Tu autem Domine etc.* Lectioni regulæ ipse lector mox adjungat lectionem statutorum quasi non esset nisi unicum caput. Hac lectione finita omnes flexis genibus breviter orent seu gratias agant in silentio. Deinde abbate signum dante egrediantur secundum consuetudinem. Cui abbati deinceps debitam reverentiam omnes exhibeant.



## CAPUT XXVIII

## DE OFFICIO ABBATIS, PRIORIS ET SUPPRIORIS

Abbas semper meminerit quod quanto ad altioris dignitatis gradum exterius assumptus est, tanto sublimiorem humilitatem vitaeque puritatem interius possidere debet. Ad hoc igitur modis omnibus laboret ut quemadmodum officio ita etiam sanctae conversationis exemplo caeteris praesit. Studeat carnis passionibus in se mortificatis Deo vivere, prospera mundi despiciere, nulla adversa pertimescere, interna jugiter desiderare, eleemosynas liberaliter et cum sincero [80v] affectu tribuere, de inopia non angere sed in Domino confidere qui dixit: *Quaerite primum regnum Dei, et haec omnia adjicientur vobis*; spiritualia temporalibus semper anteferre; superfluas suspiciones inordinatamque mentis inquietudinem vitare, omni spiritui leviter non credere; injurias sibi illatas facile condonare, adversus delinquentes non furiose irasci, sed eis compati et eos cum charitate corripere, in corrigendis culpae, sicut diligentem et strenuum, ita misericordem et discretum esse; seque in secreto cordis etiam illis subicere, quos exterius quasi despiciendo necesse est castigare, vitia persequi, fratres amare; discipulis affabilem et benignum, non tamen puerilem aut inepta familiaritate dissolutum se exhibere, ea quae facienda sunt exemplo magis quam verbo aliis commonstrare. Laboriosa sunt haec, et nisi divina gratia succurrat impossibilia.

Superior subditis non parum amabilis reddi solet quando mansuetudinis humilitatisque gratia pollet; sicut contra non parum gravis eisdem esse consuevit, quando superbiae vitio tumidus se ae-



qualem esse his quibus praeest non cognoscit, et bona quaeque non tam consulendo quam contumeliositer insultando profert. Neminem fratrum abbas negligat, neminem contemnat, neminem contumeliose coram externis subsannet aut irrideat, de nemine desperet, pro omnibus curam paternam gerat, omnes sincere diligat, sive perfecti sive imperfecti sint.

Et quamvis apud unum frequentior ac familiarior esse habeat, quam apud alterum, utpote necessitate, officio, ratione, utilitate, vel spirituali consolatione id requirente non [81] tamen unum magis diligat quam alterum, nisi in quantum viderit in obedientia et bonis operibus unum superare alterum. Igitur licet aliquos forte specialiter, omnes tamen cordialiter diligat, et de omnium salute sit sollicitus.

Quemlibet patienter audire consuescat, neminem etiam frivola forte proponentem repellat cum indignatione, sed placide et rationabiliter respondeat, nisi alicujus temeritas et praesumptio asperius responsum requirat. Studeat libenter praesentem se exhibere praecipuis divini servitii actionibus conventualibus, dum nulla causa superveniens eum avocat, et vitet nimis crebras superfluasque profectioes, quantum licet. Disciplinam religionis dilabi sua negligentia non permittat, sciens se non supra regulam aut statuta esse, sed illis obedientiam debere. Caveat item ne consuetudines receptis caeremoniis nimium discordantes temere introducat. Quando vestimentis ecclesiasticis superindui aut alioqui baculum pastorem tenere non habet, si gestat anulum, sit unico contentus. Quando vero baculo pastorali utitur, omnino gestabit anulum, si habet in promptu.

Benedictiones cereorum, cinerum, palmarum et vasorum vestimentorumque ecclesiasticorum, quas licite facere potuerit, faciat. Pedes fratrum in die Caenae dominicae lavet. Infirmum in extremis positum, si potest aut vult injungere, injungat. Officium quod ad sepulturam et exequias

fratris defuncti, quodque ad missam diei Animarum spectat, faciat. Tribus diebus proxime Pascha praecedentibus, et [81v] quibuslibet diebus missam solemnitate summa insignitam habentibus, ipsam solemnem missam celebret, atque in vespers festorum summorum majorum vel etiam minorum, nisi vespers et missam summorum minorum priori relinquere malit, vestimentis ecclesiasticis superindutus, divino officio intersit, tuncque initium ipsarum vesperarum imponat et capitulum atque collectam recitet. Hymnum *Te Deum laudamus* in officio nocturno semper incipiet. Evangelium atque Laudes in summis solemnitatibus cantet. Orationem dominicam in Laudibus et Vespers semper pronuntiet.

Lectoribus ubique det benedictiones. Ante refectionem conventualem dicat *Benedicite*, et ante collationem: *Sit nomen Domini benedictum*. Ubi- cumque conventualiter dicenda est praecatio: *Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace*, ipse eam pronuntiet. Etiam pronuntiet ante completorium: *Adjutorium nostrum in nomine Domini*. Et in fine completorii post collectam, det benedictionem dicens: *Benedictio Dei omnipotentis etc.* Finito completorio aspergat fratres aqua benedicta. Novitii investitionem faciat, et professionem suscipiat. Praedicta officia abbas compleat, si potest aut vult ea complere; sin minus prior vicarius ejus illa compleat. Benedictiones vasorum et vestimentorum usui sacro servientium non faciet prior. Etiam investitionem vel professionem novitii non suscipiat, nisi ab abbate forte impedito, vel id exsequi commode non valente expresse ei praecceptum vel permissum fuerit.

[82] Prior ergo in abbatis absentia vices ipsius suppleat locumque ejusdem in actionibus et congregationibus conventualibus teneat, nisi quod solitum suum locum in oratorio ordinarie non mutabit. Etiam abbate non jubente, nullo modo mutabit eos qui in officio constituti sunt, nec aliquem ad altiorem gradum promovebit neque de suo gra-

du et ordine amovebit nisi ad tempus pro culparum satisfactione et humilitate. Nullum item ad sacros ordines suscipiendos diriget, nullum, abbate in monasterio existente, in specialem, gravem aut carceralem satisfactionem mittet, nullumque ab illis satisfactionibus absolvet, nisi jusserit abbas. Praeterea abbate in monasterio praesente, non egrediatur septa monasterii absque permissione, ordinatione vel speciali abbatis licentia.

Etiam, quando abbas est in monasterio, ipse prior non concedat alicui aliquid speciale vel grande, nisi sciat abbatis esse voluntatem et permissionem, et abbate extra monasterium constituto, nemini licentiam proficiscendi det, procuratoribus exceptis, nec ipse facile profectionem aliquam suscipiat, si modo ipsa profectio commode differri potest donec abbas redeat. Ubicumque abbas praesens non est, sollicite vigilet circa fratres, sciens sibi curam eorum tunc praecipue esse impositam, seque pro eis rationem redditurum, sicut et abbas rationem redditurus est. Laboret quantum potest, ut in sanctae pacis gratia semper fratres se invicem et abbatem ament. Si quid tale exoriri viderit quod ipsius pacis bono adversetur, studeat mox illud sicut praevalet mitigare vel extinguere. Semper recitabit Evangelium [82v] ante Laudes, nisi abbas illud recitare habuerit. Etiam in omnibus festis summis complebit officium sacerdotis hebdomadarii ad Nocturnos et Laudes. Ipsi priori fratres omnes post abbatem promptissime obediant honoremque exhibeant. Quod si aliquis superbe aut indiscipline ei respondere aut cum eo contendere praesumpserit, sic puniatur ut caeteri sumant exemplum.

Supprior, si habetur in congregatione, vices agat prioris, ubicumque ille praesens non est, nam ubi prior praesens est, in his quae ad eum spectant nihil attentabit. Et quamvis absentis prioris vices agat, nusquam tamen mutabit locum suum, nisi in Capitulo et sub refectioe atque collatione

conventuali. Ibi enim abbate et priore absente, primo loco residebit. Quando vice prioris absentis superinduitur vestimentis ecclesiasticis, in choro tenebit locum quem teneret prior si faceret officium. Si abbas, timore Dei, quod absit, relicto, nullam vel nimis modicam commissi gregis observantiaeque monasticae curam gereret, is qui post eum praesidet, strenue congregationem continere satagat sub disciplina et honestate regulari, non respiciens ad vitam abbatis malam sed ad professionem et legem sub qua vivere oportet, nempe ad Evangelium Christi, ad regulam et ad statuta, sic et caeteri faciant.

## CAPUT XXIX

### DE INFIRMIS FRATRIBUS

Infirmi quiescant et commorentur in cella ipsis deputata, quam appellamus infirmariam, maxime si gravius aegrotant. Qui quidem infirmi, quamvis silentii [83] rigorem ibi servare non cogantur, nequaquam tamen licet eis ineptis fabulis et dissolutis risibus vacare. Ea quae conveniunt et consolatoria vel honesta utiliaque sunt religiose ibi dicantur absque inordinata vocis exaltatione aut clamore. Extra infirmariam etiam ipsi infirmi more caeterorum silentium, quantum commode possunt, honeste servent. Frequenter confiteantur atque communicent, et si infirmariam exire non possunt, frequenter in ea missam audiant, si commode fieri potest. Nam si ad ecclesiam absque labore ire possunt, debent in ea quotidie missam audire, nisi alias manifeste impediuntur.

Infirmorum curam abbas et dispensator habeant; similiter qui eos custodiunt obsequium diligenter impendant. Et quidem illi libere atque fi-



ducialiter suas necessitates manifestent; si tamen suppeditari et ministrari non possunt ea quae requirunt, nequaquam murmurent, sed laudent Dominum Deum et gratias agant, scientes, quia sicut sani monachi a sanis saecularibus, ita etiam infirmi monachi ab infirmis saecularibus differunt. Quod si molestiores morosioresque fuerint, moneri poterunt cum omni mansuetudine et supportari debent cum omni charitate. Quorum etiam custodes rogamus per viscera Jesu Christi ne nimium attendantur propter labores vel propter morborum horrorem atque putredinem; sed hilares paratoque animo ministerium impendant, certo credentes se Christo potius quam hominibus servire. Ipse enim dixit: *quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis*. Qui sane infirmorum custodes ab actionibus conventualibus, etiam absque speciali licentia, abesse poterunt in quantum [83v] ratio et necessitas officii sui requisierit, non tamen se sine causa subtrahant.

Minutiones, id est, phlebotomiae, secretaque balnea infirmis quoties expediat concedantur. Sanis non concedatur usus ipsorum balneorum absque necessitate vel causa rationabili; unusquisque tamen pedes congruo tempore et loco sine speciali licentia abluere poterit. Minutiones non solum infirmis sed et sanis concedentur. Et quidem die minutionis hi qui minuendi sunt, si celebrare habent celebrent ante ipsam minutionem; eis liceat tunc aliquid praegustare ante horam communi refectioni deputatam, sed id non in alio loco quam in refectorio vel in loco minutionis, nisi specialis licentia habeatur, in quo etiam loco tunc liberius colloquentur. Die minutionis, duobusque diebus sequentibus, si jejunium intervenerit, non jejunabunt minuti, nisi sit valde speciale jejunium. Qua jejunii relaxatione in die generalis minutionis, non solum minuti, sed etiam caeteri omnes fruuntur.

Non transmittatur alicujus urina extra monasterium ad medicum absque superioris licentia, et fratres non nimium curiosi sint circa medicamenta



externa, maxime quando nulla aut admodum parva est infirmitas seu necessitas. Ad particularem mensam infirmorum non advocetur neque adducatur aliquis extraneus aut saecularis absque superioris permissione. Mulieres omnino excludantur ab eorum mensa, sicut et a conventuali mensa fratrum. Si aliquis externus vir apud infirmum ex improviso [84] forte supervenerit et tunc commode ad superiorem venire non licuerit ut licentia petatur, permittetur quidem talis reficere; sed postea superiori indicabitur id quod factum est. Qui superior, si expedire judicaverit et infirmi petierint, poterit permittere, ut interdum praeter custodes illorum, unus vel alter ex sanis fratribus cum ipsis reficiat propter solatium. Dum revalescunt infirmi, paulatim restituant se conventui sicut sentiunt se melius habere. Quamdiu tamen plenius non convalescerint, non nisi per diem divino officio cum caeteris intersint, et libere inde exeant quando gravantur.

Postquam sic sani fuerint, ut et nocte et die congregationem sequi possint, ad suas cellulas redeant. Si post hujusmodi reditum, adhuc ad aliquot dies seu hebdomadas necesse habuerint abesse a nocturnis vigiliis, superior eis cum favore annuat. Quilibet poterit congruis horis infirmum visitare etiam non petita licentia, maxime quando gravius laborat aegrotus; non tamen ibi diu admodum extra tempus colloquiorum remaneat is qui visitat, nisi aut ipse infirmus desideraverit, aut alioquin causa rationabilis exegerit. Si infirmus molestiam ex nimia visitatione adventantium sustinet, libere id indicet. Quando aliquis multum periculose laborat, orationibus fratrum a praesidente in capitulo commendetur ut quilibet pro ejus salute Dominum sollicite exoret. Non permittantur mulieres custodire fratres infirmos in locis conventualibus. Si superior judicaverit esse necessarium et expediens, poterit concedere ut unus vel plures externi saeculares honesti viri infirmis omnino graviter laborantibus inserviant, sed caveantur abusus.

[84<sup>v</sup>] CAPUT XXXDE EXTREMA UNCTIONE  
ET AGONE INFIRMI FRATRIS

Sacrum extremae unctionis oleum habeatur, si fieri potest, in monasterio semper paratum, quod per singulos annos novum inferetur vetere exusto. Fas non est ut per alium administretur hoc sacramentum unctionis, quam per eum, qui est sacerdos, et ad superiorem seu ejus vicarium id officii specialiter spectat. Non autem quilibet infirmus inungi debet, sed is tantum qui jam ad extrema venisse putatur. Qui semper insaniunt vel alias fatui sunt et deliri non judicantur capaces hujus sacramenti. Si quis autem aliquando fuisset compos mentis, et non vixisset vitam christiano prorsus indignam, is lapsus in amentiam, phrenesim et mentis stuporem aut excessum, pro tali habendus esset, qualem se gesserat dum rationis usum habebat, et ei unctio sacra dari posset, nisi forte metueretur ne in furore atque insaniam inferret aliquam ignominiam sacramento. Tunc enim melius omitteretur quam exhiberetur.

Infantes quoque et pueri, qui usum rationis nondum habent, non sunt ungenti isto sacro oleo. Caeterum pueri qui ad usum rationis pervenerunt discernereque inter bonum et malum norunt, ac peccando praevaricari jam potuerunt, judicantur capaces hujus sacramenti. Ergo quando frater infirmus morti est proximus, conventus congregetur [85] in chorum; sacrista praeparet sacrum oleum super altare, praeparet ibidem et sacram eucharistiam, si infirmus communicare habet. Superiore alba et stola superinduto atque illuc ingresso, omnes ad inungendum infirmum processionaliter

progrediantur; superior gestet ipsum oleum. Si ad infirmum deferri debuerit eucharistia, ipsam superior gestabit. Sacrista vero vel alius stola super cucullam suscepta oleum sacrum portabit. Superior ingressus locum ubi infirmus decumbit, dicat: *Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea . Amen.*

Deinde deposito sacramento super mensam honeste paratam, accedat ad infirmum, et si eum posse loqui cognoscit, interroget si ei placeat, vel utrum cupiat recipere sacramentum sanctae unctionis. Quo affirmante quod cupiat, superior subjungat: *Dominus tecum sit, et benedictio ejus in te descendat. Amen.* Quibus dictis, modice conspergat infirmum aqua benedicta et stans versus illum dicat: *Sit nomen Domini benedictum.* His qui adstant respondentibus: *Ex hoc nunc et usque in saeculum,* addat: *Oremus: Omnipotens et misericors Deus, quaesumus immensam clementiam tuam etc.*

Qua collecta finita, quaeret ab infirmo, si infirmus non est memor, an non placeat facere protestationem, vel monebit eum ut fidem catholicam dicat. Infirmus igitur sequentem protestationem ex libro vel ex charta seu tabula, latine aut vernacule legat, si legere potest, vel saltem symbolum fidei, *Credo in Deum* recitabit; si non potest commode legere, sacrista vel alius [85v] pro eo pronuntiabit: *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti Amen. Ego peccator indignissimus, redemptus pretiosissimo sanguine Domini nostri Jesu Christi, palam profiteor me sincero corde ignoscere omnibus qui quovis modo mihi injuram vel molestiam aliquam unquam intulerint; et humiliter rogo tam praesentes quam absentes omnes ut mihi vicissim ignoscant et dimittant si in aliquo eos unquam offendi. Agnosco me hactenus non vixisse tam pure et sancte coram Domino sicut vivere debueram. Agnosco scelera mea multa nimis. Agnosco culpas et negligentias meas infinitas. Agnosco quicquid mali per omnem vitam commisi, et supplici mente a misericordissimo Deo nostro veniam peto, dolens quod*

*unquam eum offenderim et proponens deinceps vitare peccata.*

*Quamvis autem graviter et multis modis hactenus deliquerim, non tamen diffido de omnipotenti et benignissima misericordia ipsius redemptoris mei, sed spero me per meritum passionis et mortis ejus, non autem per merita mea participem futurum aeternae vitae atque haereditatis. Ego passionem ejus sacratissimam pro refugio munimentoque tutissimo habeo. Ego eam inimicis meis invisibilibus semper et ubique tamquam armaturam inexpugnabilem objicio; eam sanctae Trinitati pro meritis quae mihi desunt et pro perfecta satisfactione de peccatis meis offero. Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem caeli et terrae, et in Jesum Christum filium ejus unicum, Dominum nostrum etc.*

*Protestor coram ipso omnipotenti Deo et coram tota [86] curia caelesti me cupere et velle in ea fide hanc vitam finire in qua convenit obedientem sanctae matris Ecclesiae filium mori. Protestor me credere universa quae ipsa fides catholica continet et quae a veris orthodoxisque Christi fidelibus credenda sunt. Quod si vel impugnatione diaboli vel violentia morbi aliquid huic proposito contrarium cogitarem, loquerer aut facerem jam illud revoco, et contestor me nullo modo consentire talibus cogitationibus, verbis aut operibus; gaudeo et gratias ago misericordissimo creatori et salvatori meo, cujus ineffabili pietate me in sancta fide christiana morituum confido. In manus ejus sanctissimas animam meam et corpus meum nunc et in hora mortis meae commendo, vosque precor omnes qui adestis ut oretis pro me.*

*Hac protestatione completa, vel si solum symbolum recitatum fuit, eo finito, cantor mox incipiat psalmum Miserere mei Deus, quem conventus complebit per choros adjungendo in fine Gloria Patri, et hanc antiponam: Cor contritum et humiliatum ne despicias Deus, sed propter immensam pietatem tuam miserere mei. Deinde dicetur*



litania usque ad hunc locum: *Propitius esto: superiore qui officium facit, praecinente, fratres dirigent responsionem ad infirmum dicentes: miserere ejus, ora pro eo et orate pro eo. Litania completa, suscepto vasculo olei sacri dicat: Adjutorium nostrum in nomine Domini. Adstantes respondeant: qui fecit caelum et terram. Superior [86v] adjungat Dominus vobiscum; Oremus: Omnipotens sempiternae Deus qui per apostolum tuum Jacobum etc.*

Qua collecta finita, incipiat ungere infirmum hoc modo: bacillo stanneo vel argenteo, qui intra vasculum conservari solet, vel certe pollice tincto oleo sacro signum crucis leniter imprimet super infirmi utrumque oculum clausum, devote interim proferens sacramentalem verborum formam quae est *«Per hanc sacratissimam unctionem et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum. Simili modo unctionem faciat cum signo crucis super utramque aurem in longum et transversum aperturae earum, et super inferiorem partem nasi comprehendendo utrumque narem et super utrumque labium clausum et in utraque manu intrinsecus, et super utrumque pedem. Satis conveniens fuerit ut in oculis, auribus, manibus et pedibus dextrum membrum expediat ante sinistrum.*

Repetet toties supradictam verborum formam quot membra diversa ungere debuerit, verumtamen in qualibet repetitione variabit verba. Nam ad unctionem [auris] dicet *quidquid peccasti per auditum*, et ita in unctionibus aliorum membrorum faciet dicendo *quidquid peccasti per odoratum, per gustum, per tactum, per incessum. Peracta qualibet unctione mox abstergat eam lana vel lino aut stupis seu consimili [87] materia quae postea in ignem mittetur aut in flumen projicietur. Non debet sacerdos prius inungere, et postea verba sacramentalia pronuntiare. Non etiam invertat ordinem unguendi, sed primo oculos, deinde aures, postea nares, exinde labia, postea manus, postremo pedes inungat.*



Si infirmus moritur unctione nondum completa, sacerdos non pergat, sed desistat, quod mortuus non est capax hujus sacramenti. Si dubitatur utrum sit mortuus, potest inungi sub hac conditione: *Si non es mortuus, per hanc sacratissimam unctionem* etc. Si sacerdos inungens deficiat aliquibus membris infirmis jam inunctis, alter sacerdos qui completurus est, non iterabit unctiones factas, sed eas quae restant faciendae perficiet. Si is qui inungitur est leprosus aut alioqui morbo multum contagioso vel horrendo laborat, poterit inungi bacillo ligneo post unctionem comburendo aut in flumen projiciendo. Si infirmus caret aliquo membro quod inungi debet, aut si ipsum membrum ulceribus vulneribusve ita vitiatum est, ut commode tangi non possit, fiat unctio in parte proxime contigua. Sola membra quinque sensuum necessario unguuntur et unctio pedum ex causa rationabili omitti potest; quamvis plures fiant unctiones, omnes tamen unicum constituunt sacramentum. Uctionis opere facto, sacerdos manus abluat, deinde subjungat: *Salvum fac servum tuum; Mitte ei Domine auxilium de sancto; Nihil proficiat inimicus de sancto; Esto ei, Domine, turris fortitudinis; Dominus vobiscum; Oremus: Domine Jesu Christe, Salvator et Redemptor noster* etc; qua collecta finita, si infirmus prius non communicaverit, et tunc [87v] communicare debet, indicari ei poterit ut praeparet se ad confessionem. Ipse ergo dicet confessionem generalem: *Confiteor Deo omnipotenti*. Si non potest commode legere, alter legat pro eo. Sacerdos subjungat: *Misereatur tui; Indulgentiam et remissionem* etc., atque ita communionem sacram ex vasculo educens et super patenam ponens porrigat infirmo. Deinde vinum in calice eidem offerat, si sumere potest. Notandum autem quod ipsa eucharistia non debet porrigi aegroto assidue vomenti nullumque cibum omnino manducare, trajicere aut retinere valenti nec aegroto graviter incessanterque tussienti, sed talis credat et manducavit. Non debet etiam dari insano neque fatuo,

neque infanti. Hi autem pueri admitti possunt ad communionem qui ad eam maturitatem intellectus pervenerunt, ut per fidem inter hostiam consecratam et non consecratam discernant et corpus Redemptoris sui mirabiliter atque ineffabiliter esse sub specie panis credant; pium affectum sanctamque reverentiam erga ipsum venerabile Sacramentum concipientes; quae intellectus maturitas in quibusdam ante annum aetatis decimum, in quibusdam serius apparet. Non itaque annis vel aetate, sed intellectu et discretione aptitudo puerorum aestimanda est. Quamvis autem amentibus qui vel debilem habent mentem, habent tamen fidem et devotionem ad hoc Sacramentum, vel etiam ex quacumque causa perfecte amentes facti sunt, ac quibusdam daemoniariis nonnunquam concedatur sacra eucharistia, dum expulso aut alia in sacramentum irreverentia [88] non timeatur. Hoc tamen non nisi mature et cum debita discretione attentandum est.

Sacerdos postquam dedit infirmo communionem vel si ille communicare non debuit, postquam ipse consummavit collectam: *Domine Jesu Christe, salvator et redemptor*, conversus ad infirmum dicat: *Dominus noster Jesus Christus, de interitu vitam tuam redimat et satiet in bonis desiderium tuum. Amen.* Et mox subjiciat tres benedictiones, quibus finitis addat: *Dominus noster Jesus Christus apud te sit ut te dirigat et defendat, intra te sit ut te reficiat, et ad vitam aeternam perducatur. Amen.* His ita dictis, offerat infirmo crucem Domini seu imaginem crucifixi osculandam, et eum rursus aqua benedicta modice conspergat. Deinde conversus ad conventum faciat manu signum crucis dicens: *Benedictio Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus sancti descendat super nos et maneat semper.* Alii postquam responderint: *Amen*, surgant omnes et relicta apud infirmum aliqua cruce seu crucifixi imagine processionaliter redeant in oratorium sicut inde exierant. Sacerdos deponat sacramentum super altare, aliis interim

genua flectentibus et orantibus. Postea surgatur et qui volunt egredi, egrediantur. Sacrista reponat ipsum sacramentum.

Si infirmus petat ut aliqua sacra et spiritualia sibi praelegantur, satisfiat quantum licet ejus desiderio; si vero maluerit ipse orare apud se vel meditari, non impediatur ejus devotio. Si necessitas requirat, poterit fieri unctio uno aut altero praesente, omissis caeremoniis et orationibus, atque omissa exhibitione eucharistiae, nimirum sacerdote stola super cucullam suscepta mox unctionem inchoante et dicente: *per hanc sanctissimam unctionem etc.* [88v] Si quis semel inunctus melius habuerit et post plures dies seu hebdomadas iterum reciderit in mortalem aegritudinem, poterit tunc inungi, nisi superior judicet non esse necessarium tam cito repetere sacrae unctionis remedium. Etiam saepius quis ita inungi potest, nempe toties quoties in lethalem infirmitatem recidit.

Quando infirmus jam agonizare et transitus sui certa signa dare videbitur, cereus benedictus accensus ponatur aut teneatur in manu ejus et unus ex his qui custodiunt vadat atque convocet superiorem ac caeteros fratres. Si consuetudo est, ut tunc per sonitum tabulae convocentur, ipse accipiens tabulam ligneam ad hoc deputatam eam in introitu illorum locorum in quibus putat esse fratres malleolo aliquot ictibus feriat, servata honestate et gravitate. Qua convocatione audita, omnes, postposita quavis occupatione, modeste ad infirmariam occurrere festinent, corda sua ad Deum intense dirigentes et auxilium ejus implorantes. Si tamen divinum officium tunc agitur, praesidens cum duobus vel tribus ad morientem properet; caeteri expectent, donec compleatur opus Dei.

Si sub refectioe aut lectione sunt fratres quando fit hujusmodi convocatio, statim concludat [lector] dicens: *Tu autem, Domine, miserere nostri.* Venientes autem ad locum ubi frater jacet infirmus, legant flexis genibus litaniam sicut ante unctionem, superiore super cucullam stola [89] su-

scepta praecinente, qui etiam agonizantem modica aqua benedicta consperget. Post litaniam idem superior subjungat: *Salvum fac servum tuum; Dominus vobiscum. Oremus*, addens collectas convenientes ad hoc deputatas. Quibus finitis aut aliqui psalmi per choros devote legantur, aut Passio Domini ab aliquo recitetur, aut aliquid aliud pium pro desiderio agonizantis vel ordinatione superioris legatur, aut certe quilibet apud se in silentio oret quod voluerit, commendans Domino beatissimaeque ejus genitrici animam fratris jam proficiscentis. Praecipue autem unusquisque tunc confugiat ad sacrosanctam Christi passionem, spiritum agonizantis consignans in cruce, in vulneribus, in sanguine et merito totius passionis ejusdem. Si differatur transitus, remaneant ibi duo aut tres qui psallant vel orent, legentes etiam horas suas canonicas si ita placeat, caeteri recedant. Si fratres refectionem non compleverunt, reversi in refectorium compleant, lectore lectionem continuante. Si iterum convoceatur conventus, vel eadem quae prius, vel alia pia circa agonizantem legantur aut quilibet oret in silentio quod voluerit.

## CAPUT XXXI

### QUOD MORTUO FRATRE FIERI ET QUOMODO CORPUS SEPELIRI DEBEAT

Fratre jam defuncto, Superior suscepta super cucullam stola corpus aspergat modica aqua benedicta, stansque dicat voce remissiore: *Oremus, fratres dilectissimi, pro anima chari nostri vel abbatis nostri defuncti ut Dominus eam in sinu pacis aeternae suscipere [89v] dignetur. Quibus verbis prolatis, his qui ibi adsunt inclinantibus, adjici-*



cit: *Oremus: Deus cui omnia vivunt etc.* Qua collecta finita, conventus, si praesens est, egrediatur. Deinde corpus paucis assistentibus honeste abluatur, si necessarium fuerit; induaturque cuculla vel etiam caligulis; sicque sepulchro ligneo impositum relinquatur, quousque in oratorium deferri debeat. Interim pro salute et refrigerio defuncti, quilibet privatim ex charitate psallat vel oret quod voluerit et quantum voluerit.

Oportunitate habita, omnes congregati processionaliter procedant ad locum ubi funus est, superiore alba et stola superinduto atque etiam baculum pastorem gestante, si est abbas. Si consuetudo loci fuerit ut cappam quoque superinduat, superinduet. Qui superior ad sepulchrum perveniens ipsum aqua benedicta stans conspergat et thurificet; deinde dicat voce remissiori: *Oremus, fratres dilectissimi, pro anima chari nostri, sicut supra.* Quibus verbis prolatis, conventu inclinante, mox addat: *Oremus: Deus humanarum animarum amator etc.* Post quam collectam conventus se erigat et cantor imponat responsorium: *Redemptor meus vivit*, ad cuius impositionem, ligneum sepulchrum a quatuor levetur et in oratorium deferatur. Quo in medio chori vel in medio presbyterii collocato, et responsorio percantato, si mox corpus sepeliri debeat, fiat commendatio. Si propter loci distantiam necesse fuerit aliqua addere post responsorium: *Redemptor meus*, addantur, nempe etiam istud responsorium poterit addi: *Memento, quaeso Domine, [90] quod sicut etc.*

Hac autem ratione fiet commendatio: Imprimis dicetur sub tono brevis litania, superiore ad caput sepulchri constituto et praecinente, caeteris hinc inde super formas aut ad latera sepulchri stantibus et succinentibus. Post brevem litaniam, subjungatur Oratio Dominica, cuius duas primas dictiones superior clara voce cum accentu pronuntiabit; reliqua pars dicetur in silentio usque haec verba: *Et ne nos*, quae superior cum accentu proferet, subjungenſ etiam cum accentu: *Oremus et*



collectam convenientem. Qua finita unum responsum cantetur, et eo absoluto rursum sicut prius litania, Oratio Dominica, una collecta, et unum responsum dicantur. Sed et tertio litania, Oratio Dominica et collecta una cum responso similiter compleantur.

Postea imposita psalmodia corpus levetur et processionaliter deferatur ad tumulum. Ad quam psalmodiam cantentur in directum hi psalmi: *Ad Dominum cum tribularer clamavi; Levavi oculos meos in montes; Laetatus sum in his quae dicta sunt mihi.* Qui tres psalmi dicentur tanquam si unus esset psalmus et in fine tertii addetur: *Requiem aeternam dona ei, Domine, et lux perpetua luceat ei.* Quibus completis superior juxta fossam stans ipsam benedicat, aspergat, atque thurificet, et ligneo sepulchro quod corpus continet in eam decenter funibus demisso, collectas convenientes recitet absque accentu, ipsisque finitis iterum corpus aspergat aqua benedicta et thurificet, ac cineres qui in die cinerum benedicti fuerunt mittat super illud dicens: *Pulvis [90v] es et in pulverem reverteris.* Post haec verba corpus cooperiatur terra.

Cistella lignea in [qua] corpus reconditur, et cum qua defoditur in terra, si consuetudo loci est ut simul cum corpore defodiatur, non sit superius tecta sed aperta et ex lignis quae facillime putrescunt aptetur, nisi necessitas vel ratio aliud requirat. Etiam ipsa corporis facies appareat nuda absque tegumento, nisi aliqua causa exposcat ut veletur. Ubi coeptum fuerit corpus tegi terra, processio, psalmodia imposita, revertatur in oratorium. Ad quam psalmodiam cantentur in directum hi psalmi: *Ad te levavi oculos meos; Nisi quia Dominus erat in nobis; Qui confidunt in Domino sicut mons Sion.* Adjicientur in fine tertii psalmi: *Requiem aeternam dona ei Domine etc.*, et addetur in silentio Oratio Dominica. Superior proferet absque accentu: *Et ne nos inducas in tentationem; A porta inferi, ad quod fiet responsio in numero singulari. Dominus vobiscum; Oremus: Satisfaciat tibi*

*quaesumus Domine*, addens in fine singulari numero: *Requiescat in pace. Amen*, caeteris respondentibus. Atque ita completum est sepulturae officium.

Si missa pro ipso defuncto in oratorio cantari, corpore ibi praesente, debet priusquam inhumetur, non statim fiet commendatio post responsorium: *Redemptor meus*, sive post responsorium: *Memento, quaeso*, sed ejus repetitione finita, superior dicet cum accentu: *Dominus vobiscum; Oremus: Deus veniae largitor etc.* Post quam collectam, ubi fratres responderint *Amen*, fiet flexis genibus brevis gratiarum actio, nisi aliqua pars divini [91] servitii mox subjici debeat. Cantor non solum incipiet responsorium sed et versum ejus atque repetitionem responsorialem, nam versus ab utroque choro simul cantabitur, Corpus ibi relinquatur donec missa pro ipso defuncto fuerit percantata. Tunc enim sacerdos et ministri advenient ad sepulchrum ubi est corpus, quibus ad caput stantibus fiet commendatio. Ac deinde officium sepulturae complebitur sicut supra dictum est.

In die Paschae, Pentecostes et Nativitatis Domini atque tribus ultimis diebus hebdomadae sanctae non cantabitur missa defunctualis super corpus defuncti, sed tunc omnino sepelietur absque tali missa. Si morbo contagioso defunctus laboravit, poterit secretius et citius sepeliri. Ipso die mortis, vel quando magis vacaverit, sacrista aut alius scribat chartulas transmittendas ad proximas congregationes monachorum vel monialium, si talis est consuetudo monasterii. In quibus chartulis declarabitur quod talis monachus talis monasterii tali die et anno defunctus sit, pro cujus refrigerio orationes petentur ex charitate. Scribetur nihilominus nomen in libro monasterii, quem ad hoc deputatum sacrista servabit, in qua etiam scriptura annotabitur dies et annus transitus.

Post sepulturam fratris die congruo exequiae ejus celebrentur, id est missa cum commendatione pro eo cantetur, integro officio defunctorum supe-

riori die praemisso, quae commendatio eadem erit cum illa quam ante sepulturam diximus esse faciendam, nisi quod post [91v] tertium responso-rium ipsius commendationis finitum, sacerdos addat cum accentu: *Dominus vobiscum; Oremus: Tibi Domine, commendamus* etc. Hae exequiae nunquam differantur ultra viginti dies a morte, nisi causa ardua requisierit. Caeterum per triginta dies, sicut alibi diximus, una missa quotidie privatim celebrabitur pro fratre recenter defuncto. Et post primam vel post completorium, legetur psalmus *De profundis* clamavi cum Oratione Dominica atque collecta *Inclina*, quod tricenarium ipso die transitus vel certe sequenti die inchoabitur. Praeterea quilibet sacerdotum celebrare valentium decem missas particulares et quilibet eorum qui non sunt sacerdotes seu eorum qui celebrare non possunt decies trinam Orationem Dominicam pro eo exsolvet, nisi infirmitate impediatur. Etiam transacto a die defunctionis uno anno cantabitur pro eo breve officium defunctorum cum missa conventuali. Extraneis sepulturam, quod omnibus fidelibus conceditur esse libera, jure parochiali salvo, apud nos eligentibus temere non denegamus.

## CAPUT XXXII

### PATERNA EXHORTATIO (1)

Filii charissimi, qui sanctae conversationis habitum suscepistis, qui suave jugum Domini subiistis, hortor, moneo, et oro vos in visceribus Jesu Christi, ut memores vocationis vestrae, omnem iniquitatem fugiat vanitatemque contem-

(1) Hunc «Epilogum commonitorium», quem Statutis suis velut coronidem subtexit Blossius, auctor Vitae (c. 18, pp. LXIII - LXV) inseruit.

natis. Inspecite mundum universum attentius, videte quomodo crescat et decrescat [92], quomodo nihil in se stabile contineat; sed sicut pulvis qui a vento spargitur, sic evanescat ipse et concupiscentia illius. Perpendite quia vita praesens vapor est ad modicum parens; considerate quod *omnis caro foenum* et gloria ejus *sicut flos foeni*, qui mox decidit et marcescit. Haec cogitate et mentes vestras sursum erigentes, relictis caducis rebus, ad ea properate quae finem non habent.

Cognoscite, filii Dei, cognoscite felicitatem vestram. Ecce vos elegit Deus in haereditatem sibi, vos e periculis et multiplicibus laqueis hujus saeculi eduxit; vos e mari turbulentissimo assumptos, in portum tranquillissimum, in paradisum amoenissimum, in sanctae Religionis monasterium transtulit, ut ibi diebus ac noctibus quasi agnificuli sine macula stetis in conspectu ejus, parati videre desiderabilem faciem illius. *Sane non fecit taliter omninationi*, non omnibus tantam benevolentiam ostendit. Grati igitur estote tam amabili Domino: servite corde perfecto tam dulci animarum vestrarum sponso. Recordamini sanctorum sanctarumque Dei qui ante multa tempora vos in monastico proposito praecesserunt; veniat vobis in mentem, quomodo ipsi, despecta prorsus mundi vanitate, sub regulari disciplina Deo pure et integre militaverunt.

Obsecro, filioli, amici Dei, cohaeredes Christi, qui in novitatem vitae spiritualis regenerati estis, qui optimam partem elegistis, currite incessanter per vestigia Agni candidissimi; nolite tardare in amore Jesu Christi. Ipse sit dulcedo animarum vestrarum, ipse sit consolatio [92v] peregrinationis vestrae, ipse sit suave condimentum omnium laborum vestrorum. Hunc mentibus illibatis astringite; ad hunc diebus ac noctibus suspirate; hunc sedulo quaerite in libris, in oratorio, in claustro, in refectorio, in horto, in cellula, in lectulo et ubicumque versamini, *donec inclinentur umbrae et*



*aspiret dies*, donec misera haec vita finem capiat et initium sumat aeterna. Coenobium vobis veluti gratum quoddam sepulchrum facite, in quo paululum quiescatis, quousque resurgentes *appareatis cum Christo in gloria*. Sit vobis crux vel modico tempore relinquere sancti loci tranquillitatem, relinquere dulces complexus ejus, cui animae vestrae desponsatae sunt.

In solitudine monasterii habetur Jesus, in turbis saeculi amittitur. Vitae igitur mundi strepitus; declinate superflua cum saecularibus consortia, ut per omne vitae tempus cum Jesu et cum ejus genitrice Maria viventes atque colloquentes, ad aeternam gloriam, piis Jesu et Mariae cultoribus praeparatam, aliquando transferri mereamini.

In Dei servitio, sacris lectionibus, orationibus vel meditationibus charas vestras delicias constituite. Gaudete et exultate in spiritu quod ad famulandum Regi aeterno estis segregati. Estote diligentes in divinis officiis; ea non ex arida quadam consuetudine, sed ex sincera charitate studiose peragite; omnia ipsorum divinorum officiorum verba sacratissima, quae Spiritus sanctus dictavit, integre et cum reverentia, religiosis vocibus [93] pronuntiate et cantate; certo credentes nec minimam quidem syllabam, nec unius notulae cantum nec modicam inclinatiunculam ibi perire, si spiritus vester vigil, si intentio recta et affectus purus fuerit.

Qui possunt Dei liberius intimiusque vacare, gratias agant ipso Domino, et alios non despiciant; qui vero vel opportunitatem vel gratiam non habent, ut multum insistant particularibus precibus aut contemplationibus, studeant saltem communibus Dei laudibus atque orationibus vel lectionibus libenter et devote intendere. Spiritualem profectum diligite, et quicquid illum in vobis impedire sentitis, solerter vitate. Rursum admoneo vos, filii lucis, abstinere a carnalibus desideriis, quae militant adversus animam; abstinete a vino



multo; abstinete ab amaris voluptatibus hujus saeculi; ambulate in sacris Religionis observantiis, *non quasi insipientes sed quasi sapientes*, et cognoscetes quae sit voluntas Dei. Regulae vestrae et Statutorum vestrorum, quae facillima mitissimaque sunt, integritatem servate illibatam, quantum in vobis est.

Horrete proprietatis labem damnabilem; nolite dare in vobis locum diabolo. Vinculum pacis, unionem spiritus, dilectionis affectum semper in vos servate. Nam sine his monasterium in quo vivitis non poterit esse sanctorum angelorum habitaculum, sed erit malorum spirituum domicilium. Ergo charitatem habete; hanc *quasi modo geniti infantes sine dolo* sectamini: nulla inter vos murmuratio, nullum odium, nulla detractio, [93v], nulla pertinax suspicio, nulla invidia diu locum unquam habeat, ut in domo Dei non nisi quae pacis sunt appareant. Cum omni mansuetudine et dilectionis affluentia alter alterum portet; alter alterius defectus, quantum in se est, toleret; alter alterum juvet, alter alteri compatiatur, alter alterum moneat.

Juniores reveantur et honorent seniores; similiter qui seniores sunt ipsos juvenes diligant, eosque ad puram sanctae Religionis observantiam tam exemplo quam verbo animent. Voluntatem propriam unusquisque frangere, et eam ad superioris arbitrium cum spirituali gaudio flectere studeat; atque ea quae jubentur mox sine contradictione expleat. Fugite tumorem praesumptionis et arrogantiae Deo odibilem; fugite vanae gloriae praecipitium; amate cognosci a solo Deo, nesciri a caeteris. Diligite subesse potius quam praesse, et discere magis quam docere; quia *haec est voluntas Dei, haec est sanctificatio vestra*. Sic vitam vestram instituite, sic mundum, sic diabolum, sic carnem, sic naturam ipsam vincite, ut super vos humiles, quietos et tremantes verba Domini, Spiritus sanctus requiescat.

Non autem perturbemini, neque sitis nimium pusillanimes, si aliquando gravamini in proposito monastico; si animi lassitudinem et cordis ariditatem in servitio Dei sentitis; si tentationum molestiis et tribulationum pressuris affligimini: sed estote constantes, et per brevem laborem breveque [94] taedium ad aeternae beatitudinis gaudia festinate. Adhuc modicum et cessabunt omnia tristitia; adhuc modicum et transferemini in requiem gloriamque sempiternam. Tunc gaudebitis pro diebus quibus vidistis mala, et ossa vestra sicut herba germinabunt. Tunc consolabitur vos Dominus, sicut mater consolatur filios suos, et in Jerusalem consolabimini. Tunc mirabitur et laetabitur et dilatabitur cor vestrum, quando videbitis decorem illius sanctae civitatis; quando facie ad faciem contemplantur Deum Deorum in Sion; quando possidebitis quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; quae bona nobis omnibus praestare dignetur Jesus Christus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in saecula saeculorum. Amen.

## APPENDICES

### I

#### BULLA PAULI III

#### QUA STATUTA BLOSIANA APPROBANTUR

1545, 8 aprilis

[Fol. 290] Paulus etc. [episcopus, servus servorum Dei] ad perpetuam rei memoriam <sup>(1)</sup>.

Alto divine providentie consilio summi sacerdotii curam, meritis licet imparibus, gerentes in terris, ad universa monasteria et alia regularia loca, pro illorum felici statu confovendo nostre vigilantie mentem frequenter dirigimus, et his que pro religionis puritate retinenda, et divini cultus candore conservando, necnon schismatum dissidiis propulsandis, provida consideratione et matura deliberatione processisse comperimus, ut inconcussa soliditate roborentur, libenter cum a nobis petitur apostolici muniminis adjicimus firmitatem, aliasque desuper statuimus et ordinamus, prout temporum et locorum qualitate pensata in Domino conspicimus salubriter expedire.

Sane pro parte dilecti filii moderni abbatis monasterii de Liessies, ordinis sancti Benedicti, Cameracensis diocesis, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod licet in dicto monasterio regularia instituta ejusdem sancti Benedicti, secundum que monachi ipsius monasterii professionem faciunt ad Dei honorem vigeant, et tam ex statutis ejusdem monasterii [290v] ac antiqua et approbata, hacte-

(1) In margine: B. Beccalla.

nusque inibi observata consuetudine quam forsitan ex privilegiis et indultis apostolicis prefato monasterio aliquando concessis, infrascriptus vivendi modus, quoad pro tempore existentes abbatem et monachos ac alias personas ipsius monasterii sit in usu et viridi observantia, nichilominus prefatus modernus abbas pro majori conscientie sue serenitate, et ne presenti, quo hereses multis in locis nedum pullulant, sed etiam latius serpunt, et refrigerescente charitate abundat iniquitas aut alio unquam tempore in eodem monasterio sprete religionis puritate, aliqua minus honesta introducantur, cupit eundem vivendi modum in scriptis redactum, sub hujusmodi tenore, videlicet:

1. Circa divinum servitium et cultum quilibet monachorum debet adhibere precipuam diligentiam. Officium magnarum sive canonicarum horarum dicitur juxta Regule ordinationem; officium vero parvarum horarum Beate Marie, de quo in institutis regularibus [291] sancti Benedicti nulla fit mentio, dicitur hoc modo: Ante Nocturnum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas et Completorium ejusdem officii legitur semel integra Salutatio angelica. Ad Nocturnum post versus initiales dicitur Invitatorium, hymnus, psalmus, antiphona, versiculus, benedictio et tres lectiones cum tribus responsoriis. Ad Laudes et Vesperas post versus initiales dicitur psalmus, antiphona, capitulum, responsorium breve, hymnus, versiculus, canticum de Evangelio, antiphona cantici et collecta. Ad Primam, Tertiam, Sextam et Nonam, post versus initiales dicitur hymnus, psalmus, antiphona, capitulum, versiculus et collecta. Ad Completorium post versus initiales dicitur psalmus, hymnus, capitulum, versiculus, canticum de Evangelio, antiphona cantici et collecta. Ipse psalmus ubique est unus et idem, videlicet: *Laudate Dominum omnes gentes*. Quotidie ad finem Laudum et Vesperarum ejusdem officii Beate Dei genitricis, non autem ad finem Laudum et Vesperarum officii canonici fit commemoratio de patronis omnibus san-

ctis. Post ultimam collectam cujuslibet hore, dicto *Benedicamus Domino, Deo gratias*, additur pro defunctis hec precatio: *Fidelium anime per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.* Tam officium parvarum horarum sancte Dei genitricis, [291v], quam officium magnarum sive canonicarum horarum a singulis professis quotidie legi debet, nisi infirmitas vel alia necessitas impediatur. Venientes ad congregationem, ut sacre religionis ordinem assumant, undecumque obligati fuerint legere horas canonicas vel parvas horas B. Marie, possunt, ordinario suo relicto, mox congregationis ordinarium sequi, et eo uti quamdiu illic perstiterint. In festivitibus illorum sanctorum de quibus proprium officium in choro agitur, si hi qui privatim complent divinum officium non habent in libris suis propria que in choro dicuntur, possunt ex Communi sanctorum assumere communia, necessaria et convenientia.

2. FERIA quinta in Cena Domini, et duobus diebus sequentibus Vespere canonicè dicuntur ante prandium. Per alias ferias Quadragesime, ne infirmiores seu imperfectiores monachi prolixum temporis pomeridiani spatium non satis utiliter expendant, pro manifesta utilitate animarum dicuntur in conventu hora alias consueta post prandium. Sed Vespere horarum B. Mariæ virginis a prima dominica Quadragesime usque ad feriam quintam Cene Domini omnibus diebus non dominicis leguntur conventualiter ante prandium, cum tamen alias nihil ex officio earundem parvarum horarum intemeratè [292] Dei genitricis in choro conventualiter dici soleat, sed quilibet professorum illud privatim persolvat.

3. Vigilie mortuorum cum tribus lectionibus dicuntur conventualiter singulis mensibus semel: videlicet in januario pro abbatibus defunctis; in februario, maio, augusto, et octobri pro spiritualibus congregationis totiusque ordinis fratribus et sororibus; in martio, junio, septembri et decembri pro benefactoribus; in aprili, pro fundatoribus;



in julio pro parentibus; in novembri dicuntur ipse Vigilie defunctoriales cum novem lectionibus pro universis fidelibus defunctis; dicuntur etiam Vigilie defunctorum cum novem lectionibus, quando religiosus monasterii professus, vel etiam solummodo investitus moritur. Cum autem professi pater vel mater moritur, dicuntur Vigilie defunctoriales cum tribus lectionibus. Quando vero novitius conventualis nondum investitus, aut famulus conventualis regulari discipline competenter subditus moritur, dicuntur Vespere defunctoriales cum collecta seu collectis convenientibus. Rursum transacto anno a morte professi vel investiti dicuntur Vigilie defunctorum cum tribus lectionibus. Sed et quodcumque [292v] abbas jubet ut ipse Vigilie defunctorum vel cum novem vel cum tribus lectionibus, vel etiam sole earundem Vespere pro aliquo defuncto, fautore, benefactore, familiari seu alias specialiter juncto dicantur, dici debent. Verumtamen qui privatim legunt horas canonicas, non censentur obligati dicere Vigiliis mortuorum nisi de mense, et pro professo vel investito defuncto. Et quidem tunc legere tenentur tantummodo Vesperas ipsius officii defunctorialis cum collecta seu collectis convenientibus, preterquam in initio novembris ad generalem Commemorationem animarum, ad quam legunt Vigiliis cum novem lectionibus, sicut in conventu dicuntur. Porro quodcumque Vigilie defunctoriales vel etiam earundem sole Vespere dicuntur in conventu, cantari solet die sequenti missa defunctorialis pro eo seu eis. pro quo vel quibus ipse Vigilie seu Vespere defunctoriales fuerunt dicte.

4. Durante tricenario professi vel investiti defuncti legitur quotidie in conventu pro eo preter missam etiam supplicatio defunctorialis, id est psalmus *De profundis*, oratio dominica et collecta *Inclina*, etc: que tamen supplicatio omitti potest ab his qui privatim legunt horas.

Etiam quando moritur [293] monachus professus de gremio congregationis, quilibet sacerdos

decies missam pro eo celebrare debet, si celebrare potest. Hi qui non sunt sacerdotes, tam professi quam non professi, et famuli conventuales, ac sacerdotes celebrare non valentes, loco predictarum decem missarum persolvere singuli habent decies trinam orationem dominicam, nisi infirmitate impediuntur. Quando vero nondum professus, sed tamen investitus moritur, quilibet sacerdotum ter missam pro eo celebrare debet; alii conventuales non sacerdotes ac sacerdotes celebrare non valentes dicere singuli habent ter trinam orationem dominicam. Quando autem novitius nondum investitus, vel famulus conventualis moritur, quilibet sacerdos celebrare debet semel missam pro eo; alii conventuales non sacerdotes ac sacerdotes celebrare non valentes, legere debent singuli trinam orationem dominicam. Alias orationes pro conventuali defuncto quilibet in particulari citra aliquam obligationem facit secundum suam devotionem.

6. Necnon feria quarta Cinerum et tribus diebus proxime sequentibus, legitur in conventu quartus psalmus penitentialis: *Miserere mei Deus*, cum antiphona, *Ne reminiscaris*. Dominica prima Quadragesime legitur primus psalmus [293v] penitentialis, feria secunda sequente secundus, feria tertia tertius, feria quarta quartus, feria quinta quintus, feria sexta sextus, et sabbato septimus. Atque ita deinceps usque ad Dominicam Palmarum singulis septimanis septem psalmi penitentiales per ordinem complentur, quotidie unum assumendo; et semper ad finem psalmi adjicitur predicta antiphona: *Ne reminiscaris*. Etiam diebus letaniarum simili modo legitur psalmus *Miserere mei Deus*, cum antiphona eadem. Et quidem in die Cinerum ac deinceps usque ad Dominicam Palmarum secundis, quartis et sextis feriis statim post antiphonam: *Ne reminiscaris*, adjungitur letania, nisi in illis feriis occurrat festum duodecim lectionum, tunc enim omittitur litania. Diebus letaniarum subjungitur letania, etiam si forte tunc celebretur festum duodecim lectionum.

Circa infirmum oleo sacro injungendum inter alias orationes legitur etiam specialiter psalmus penitentialis: *Miserere mei Deus*, cum antiphona: *Cor contritum*, et cum letania. Sed ipsa letania tunc dicitur solummodo usque ad hec verba: *propitius esto*. Qui privatim legunt horas, ipsi quotidie a capite jejunii quadragesimalis, usque ad dominicam Palmarum, et diebus letaniarum dicunt psalmum [294] penitentialem cum antiphona: *Ne reminiscaris*, sicut in conventu legitur, sed omittere possunt letaniam.

7. Sacerdotes missam celebraturi, legunt ante ipsam antiphonam: *Veni Sancte Spiritus*, cum versiculo et collecta de Sancto Spiritu. Post missam, finito evangelio: *In principio erat Verbum*, dicunt versiculum: *Ostende nobis Domine misericordiam tuam* cum collecta: *Omnipotens sempiternus Deus dirige actus nostros* etc. Alias preparationes et gratiarum actiones ante et post missam faciunt pro sua devotione.

Dominica in Palmis et tertia, quartaque feria sequente, privatim celebrantes possunt loco integre passionis que in conventu cantatur, legere hec verba sancti Evangelii secundum Mattheum: *In illo tempore dixit Jesus discipulis suis, filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum, et crucifigendum, et tertia die resurget. In die tamen Palmarum, si volunt legere Evangelium: Cum appropinquaret Jesus Jerosolymis, possunt legere. In natalitiis patronorum ecclesie Credo dicitur ad missam eorumdem patronorum. Dicitur etiam in solennibus missis professionum, primitiarum ac benedictionis abbatum. Qui privatim celebrant missam de sanctis [294v], si officium non habetur suo loco integrum, sed requirendum est, possunt ad evitandam distractionem assumere officium ex Communi sanctorum, quod visum fuerit convenire.*

8. Licitum est monachis, et licitum esse creditur aliis quoque sacerdotibus de eorum familia existentibus celebrare missas super tabellas lapideas consecratas, seu altaria portatilia in locis honestis et convenientibus. Tempore hyemali celebrant missas etiam ante lucem diei, sed et quovis tempore, ex causa honesta vel rationabili, missam celebrare possunt antequam elucescat dies, circa diurnam lucem.

9. Monachi sacerdotes in monasterio constituti abstinere a celebratione misse ultra tres dies continuos non debent absque superioris scitu et permissione, nisi forte infirmitate manifesta detineantur. Sed nec uno quidem die aliquis sacerdos in monasterio a celebratione cessare debet absque causa rationabili. Novitii et monachi non constituti in sacris ordinibus communicare debent in omnibus solemnitatibus summis, et in prima dominica Adventus Domini, atque in prima ac quarta dominica Quadragesime, et in tribus ultimis diebus hebdomade sancte, nisi propter eorum etatem minus congruam aut propter aliam causam rationabilem superior aliter ordinaverit. Qui in ordine diaconatus vel [295] subdiaconatus, non tamen in gradu sacerdotii sunt constituti, etiam ultra dies predictos communicare debent singulis Dominicis totius anni, nisi ex legitima causa vel superioris permissione abstinere conveniat. Si aliquis ex causa rationabili a communionem vel celebrationem diutius cessare forte habuerit, non tamen debet nimis diu a confessione sacramentali abstinere, maxime si convenientis confessoris copiam habet. Valde enim expedit ut monachi frequentissime confiteantur. Sane quilibet ad celebrationem vel communionem accessurus non debet negligere preparare se per confessionem sacramentalem; verumtamen si vel confitendi oportunitatem, vel convenientis confessoris copiam non habet, et alias se immunem a mortali noxa invenit, affectu trahente, non prohibetur absque sacramentali confessione, cum pia erga Deum fiducia devote celebrare aut commu-



nicare. Novitii induci debent ad confessionem satis crebro faciendam, etiamsi communicare non habeant.

10. Famuli conventuales inter cetera religiose discipline et pie conversationis opera atque exercitia, istud etiam observare debent, ut intersint Matutinis et sacramentaliter confiteantur, atque communicent, si legitimo impedimento non excusantur, saltem in Nativitate Domini, in prima et quarta Dominica Quadragesime, in festo Pasche, in festo Ascensionis [295v] Domini, in festo Pentecostes, in festo venerabilis Sacramenti, in festo Assumptionis B. Marie Virginis, in festo Omnium Sanctorum, et in natalitiis principalium patronorum ecclesiae. Sed si quando alias, causa vel necessitas aliqua poposcerit, ut ad communionem accedant, communicare debent confessione premissa. Et dum aliquis advenit ut in conventu pro famulo conventuali recipiatur, priusquam serio admittatur, debet ei coram conventu religiosorum dari vel etiam legi scriptura continens principaliora que observare habebit, querereque oportet ab eo utrum paratus sit vivere secundum illa, et congrue religionis discipline subditus esse, quamdiu erit famulus conventualis. Quod si ad illorum observationem minime se paratum esse declaraverit aut ostenderit et regulari discipline competenter subdi renuerit, nullo modo admitti vel teneri debet pro famulo conventuali. Ipsis famulis conventualibus permittendum non est ut gestent vestimenta ad vanitatem ineptamque curiositatem secularium aptata, sed talia gestare debent, que modestie, simplicitati vel honestati congruant. Tunicas eorum convenit esse coloris grisei ad fulgineum tendentis, vel coloris omnino nigri, sicut eorumdem pilei debent esse nigri.

11. Novitiis ad congregationem venientibus ut monachi fiant et famulis [296] conventualibus, postquam in conventum recepti fuerint, cuncta libere ministrantur sacramenta, et eorum decedentium corpora in cimiteriis monasterii sepeliuntur; censentur enim ecclesiastice abbatis jurisdictionis subjecti, sicut et hi qui professi sunt.



12. Vigilandum est superiori in congregatione circa correctionem excessuum, ut in ea diligens pariter et discretus sit, congrua satisfactionum vel penitentiarum remedia ipsi excessibus cum timore Dei et compassione, cum opus fuerit, adhibendo.

13. Religiosi et novitii ac famuli conventuales in locis conventualibus disciplinam silentii extra communium colloquiorum seu spatiametorum tempus rationabiliter servare debent. In oratorio autem, etiam tempore colloquiorum, observanda est taciturnitas rationabilis; sed in aliis locis regularibus et circa eadem tempora colloquiorum cavendum est ab indecenti vocis exaltatione, et quilibet irreligiose levitatis ineptia. A Completorio dicto usque ad capitulare officium diei sequentis silentii rigor in ipsis locis regularibus strictius servari debet juxta sancti instituti exigentiam. Sicut autem indignum judicatur, ut monachi passim et quilibet horis liberam habeant loquendi facultatem, ita humana infirmitate considerata eis ad honorem Dei conceditur, ut quotidie lectione regulari [296v] post meridiem finita usque ad Vesperarum canonicarum tempus liberius de rebus honestis vel utilibus loqui possint, servata in omnibus debita morum compositione. Quo etiam temporis spatio hi qui sacerdotes sunt, per hortum conventualem spatari possunt, nisi aliqui eorum a superiore interdicitur, ita tamen ut audito primo pulsu Vesperarum redeant et se recolligant. Etiam in prima Dominica Quadragesime et deinceps usque ad calendā octobris post cenam cum gratiarum actione completam, et diebus jejunii post Vesperas seu post officium defunctorum religiosi inter se honeste colloqui, et sacerdotes quibus non fuerit specialiter interdictum, per hortum spatari possunt usque ad primum pulsum Completorii. Si tamen sunt aut jam imminent tenebre, tempestive revocari debent a spatiameto horti, nec temere permittendum est ut ibi in tenebris permaneant. Ipsi religiosi predictam et quamlibet aliam colloquiorum seu spatiametorum gratiam, que non nisi pro honore Dei conceditur,

debent solerter ordinare ad religiosum animi relevamen profectumque spiritualem, non autem ea abuti ad inhonestam dissolutionem, levitatem vel pernitiosam temporis perditionem.

14. Sollicite providendum est ne seculares nimis facile jungantur [297] monachis, et nec viris quidem passim et indeferenter concedi debet ingressus ad claustum, et cetera interiora loca. Illos tantummodo oportet admittere, qui auctoritate aut compositione morum, honestaque conversatione pollere, vel speciali noticia, amicitia, vel propinquitate juncti esse noscuntur, nisi aut propter processionem aliamve piam causam, aut propter edificiorum constructionem et reparationem, alteriusve operis exhibitionem aut propter manifestam necessitatem evidentemque utilitatem aliud pro tempore fieri debeat. Mulieres ad ipsa loca conventualia admitti non debent, nisi processionis vel manifeste necessitatis causa exposcat: aut nisi tante sint auctoritatis seu honestatis et nobilitatis, vel de congregatione tam benemerite, ut eis introitus videatur non denegandus. Tales igitur cum suo honesto comitatu interdum admitti possunt; nullo tamen modo eis unquam permittendum est ut regulare dormitorium ingrediantur. Nullus religiosorum causam non habentium debet se illis temere adungere. Postquam loca viderint, educende sunt, nec moram nimis longam ibidem facere debent, nisi forte divinum officium [297v] intus audire permittantur, quod tamen temere quibuslibet concedi non debet aut certe ex aliqua necessitate illic diutius esse habeant.

15. Ostia cellarum in regulari dormitorio constitutarum seras habere et clave claudi permittuntur; sed nihil intra easdem cellas clave claudi et firmari debet, nisi forte aliquis communem seu administratoriam pecuniam in cistella serata, ratione officii sibi commissi, servare habeat. Abbas et prior omnium earundem cellarum claves habere debent, ut sepius et quando voluerint eas visitent, scrutiniumque faciant, ne quid ibi sit aut agatur

quod monachos non deceat. Ipsa quoque ostia predictarum cellularum fenestrellam cancellatam habere debent, quam non libet cellarum incolis penitus claudere ab interiori parte, nisi causa rationabilis requirat. Monachis concedi potest commune calefactorium etiam in dormitorio regulari vel juxta illud, ad corpora tempore frigoris refovenda; in quo sicut et in aliis locis regularibus, modestia, quies et taciturnitatis vel silentii disciplina debita ratione servanda est.

16. A vestimentis religiosorum omnis notabilis curiositas vanitasque secularis excludenda est; et ea aptanda componendaque sunt juxta status monastici congruitatem, ex quibus illa, quae in aperto [298] gestantur multumque apparent, oportet esse nigri coloris. Cuculle et scapularia non debent fieri ex serico, nec ex bysso vel sendato, sed ex materia humiliori, videlicet ex communi illa et usitata, que gallico vocabulo saya dicitur, si haberi potest; si non potest haberi, non tamen ex materia pretiosiori fieri debent. Quilibet sub actionibus conventualibus debet esse indutus cuculla, nisi quidem is qui superinduit vestimenta ecclesiastica, et is qui ad mensam conventualem servit ac dispensator; exuta cuculla complent in scapulari sua ministeria. Etiam extra monasterium oportet monachos prodeuntes in publicum indutos esse cuculla, ubi et quando (res) honestatis ratio id omnino exigit. Nullo modo fas est monacho prodire in publicum ex proposito et consistere inter homines absque scapulari, si cucullam non habet indutam. Nullus debet gestare in publico inter homines scapulare absque caputio assuto aut caputio panneo superposito; propter indutionem vestimentorum ecclesiasticorum, ac propter piscationem, ac propter graviolem laborem extra publicum, et propter dormitionem licet uti scapulari absque caputio. Tunica regularis non debet esse seculariter ex transverso partita [298v] et consuta circa zonam, sed debet esse perpetua et prolixa usque ad talos vel circiter. Qui in multis impediri vel frequenter

egredi habent, possunt gestare tunicas aliquanto breviores, quam gestant alii, non tamen indecenter breves. Abbas propter equitationem uti potest tunica brevi. Quilibet alius, dum equitandum est, succingere debet tunicam longiorem, nisi abbas etiam tunice brevis usum alicui ad equitandum concesserit. Et abbas equitans, dum utitur brevi tunica, si in loco, ad quem pergit, die seu pluribus diebus permanendum est, debet habere secum tunicam longiorem, quam processurus in publicum induat. A nullo religiosorum conventualium tunica regularis gestanda est anterieus aut posterius aperta, nisi equitatio vel alia causa rationabilis requirat; sed illa claudi debet vel filo vel fibulis et annulis, seu alio modo convenienti. Superiores tunice novitiorum nondum investitorum sunt aperte, super quibus non cinguntur. Oportet ut quilibet aliorum in publicum usquam procedens, vel inter homines publice consistens, semper sit cinctus zona super tunicam superiorem seu regularem. Non est licitum ut aliquis portet [299] indumentum subductum serico vel bisso aut sendato, nisi quod ea pars pilei vel capitii itinerarii, quae ad protegendum faciem aptatur, potest ex superioris licentia subduci sendato, vel alia consimili materia levi, ne facies ledatur. Almutium regulare, seu capitium panneum potest etiam pellibus agninis nigris et honestis juxta laudabilem consuetudinem subduci. Alia vestimenta que apparent, non subducuntur pellibus. Monachis, qui iter facere seu frequenter egredi habent, vel qui alias indigent, concedi possunt calige alte, femora et suprema lumborum circumplectentes vel etiam diploidi conjungende, ita tamen ut tales calige simpliciter absque scissoriis vel zonulis desuper assutis fiant et diplois manicis careat. Etiam tunicelle, clamides, galeri, pilei, calcei, sandalia, ocree, calcaria, ephippia, zone, cultelli, sudariola monachorum et alia consimilia, debent carere indecenti curiositate et vitioso ornatu. Chirotecis monachi non debent publice uti in monasterio, nisi graviores manuum



labores requirant. In itinere autem propter aeris intemperiem [299v] chirotecis absque curiositate aptatis uti possunt, ita tamen ut, itinere confecto, inter homines constituti eas deponant. Etiam in monasterio et sub actionibus conventualibus manus tegumento panneo et convenienti vestire possunt propter frigus.

17. Nullus religiosorum in lecto nudus quiescere debet, nisi manifesta morbi necessitas compulerit, sed necesse est ut quilibet aut tunicella, aut interula, aut camisia indutus quiescat et in monasterio quidem super camisiam aut interulam vel tunicellam quilibet monachorum breve scapulare induere, seque desuper zona cingere debet, exceptis infirmis vel alias impedimentum patientibus, qui etiam absque scapulari in monasterio quiescere possunt. Nulli etiam monachorum conventualium fas est in monasterio intra loca regularia uti lintheaminibus lineis, vel camisia linea, nisi vel infirmitas, aut equitatio seu iter, vel alia necessitas aut ratio requirat; sed alias convenit tam camisias quam lintheamina esse staminea aut lanea. Etiam monachi conventuales in monasterio intra ipsa loca regularia lectos habere debent consutitios [300] seu materiales absque plumis, exceptis infirmis seu debilioribus et dispensatione indigentibus. Extra monasterium quilibet quiescere potest, sicut ei libuerit, modo non quiescat nudus.

18. Monachi ad Vigilias nocturnas, id est ad Matutinas excitantur et surgunt ordinarie hora quarta post mediam noctem quando est festum duodecim lectionum; si res exigere videatur, fit pulsus ad Matutinas medio spatio inter tertiam et quartam horas a medio noctis, vel in summis festivitibus hora tertia.

19. Regularia exercitia sacre lectionis in mensa conventuali et post meridiem atque ante Completorium diligenter sunt servanda, neque aliter quam sancte observantie ratio admittit, omitti vel intermitteri debent. Nulla ratione monachi tenere debent libros hereticos damnatos, impudicos, vel



alias christianis monachisque prorsus indignos, nisi forte alicui prudenti ad examinandum seu refellendum, pro evidenti utilitate, concessi fuerint ab eo qui concedere potest.

20. Praeter Quadragesimam et cetera ecclesie jejunia monachi jejunant in monasterio etiam per omnes ferias Adventus Domini et pridie Purificationis [300v] Dei genitricis, ac pridie Ascensionis Domini et pridie festi Corporis Christi, item pridie Visitationis Nativitatisque ipsius Beate Marie Virginis, que sunt specialia jejunia observantie. Etiam jejunant feriis sextis, nisi in illis festum duodecim lectionum, aut privatus dies solemnis octave celebritatem etiam simplicis festi duntaxat habens, jejunio ecclesie diocesane non insignitus, vel generalis minutio, hoc est generalis phlebotomia occurrat. Verumtamen feriis sextis inter Nativitatem Domini et Octavam Epiphanie atque inter Pascha et Pentecosten occurrentibus, item feria sexta ante dominicam Quinquagesime non jejunant, nisi jejunium ecclesie vel speciale jejunium observantie in eis incidat. Sed et quando preter ipsum ordinarium jejunium ferie sexte occurrit in eadem ebdomada adhuc aliud jejunium, ordinarium ferie sexte jejunium tunc omittitur. Abbas quoque, ex speciali gratia potest, si vult, propter causam multum rationabilem et urgentem interdum relaxare toti conventui jejunium ferie sexte, ita tamen ut caveat indiscretam facilitatem [301]. Cum adolescentioribus et debilibus, ac cum his qui labore corporali nimium gravantur, abbas misericorditer dispensare consuevit, sicut fuerit necesse.

21. Monachi ab ovis et lacticiniis abinent secundum consuetudinem ecclesie catholice vel diocesis in qua vivunt. Omnino tamen convenit servare hanc laudabilem consuetudinem in monasterio, ut tempore jejunii quadragesimalis, etiam si diocesanis forte concedatur usus lacticiniorum, nullus monachorum utatur lacte animalium, nec caseo, nec butyro, absque necessitate seu causa

multum rationabili, et superioris speciali permissione, nisi in quibusdam cibis vel liquoribus qui tunc ad refectionem monachis exhibentur aliquid butyri permisceatur. Extra monasterium, quilibet monachorum conformare se potest in usu lacticianorum illis fidelibus catholicis, apud quos est, sancta discretione in omnibus servata.

22. A carnibus in monasterio abstinent qui sani sunt omnibus diebus jejuniorum et feriis sextis ac sabbatis, vel aliis diebus, quibus sancta Ecclesia abstinet: item per totum Adventum Domini, [301v], et feria secunda ac tertia post Dominicam Quinquagesime, die quoque Nativitatis Domini et die Paschae. Alias utantur carnibus sicuti ceteri fideles catholici, nisi quod sabbatis inter Nativitatem Domini atque Purificationem Beate Marie occurrentibus, etiamsi diocesani utantur carnibus, non tamen monachi permittuntur eis uti in monasterio, nisi causa rationabilis et superioris licentia vel presentia singularium hospitem admittat.

23. Abbas, et in absentia abbatis, is qui cum hospitibus ex officio reficere habet, propter adventum ipsorum hospitem potest solvere ordinarium ferie sexte jejunium, si non est tunc jejunium ecclesie; si aliquos monachos advocaverit ad hospitium mensam, etiam ipsi tale jejunium ferie sexte cum charitate solvere possunt in gratiam hospitem, religionis honestate in omnibus servata. In specialibus quoque jejniis observantiae, si abbas vel alii monachi sedent ad mensam cum specialibus hospitibus cenantibus, licitum est eis, discretione et continentia servata, cenare; sed abstinent ab usu carniis, nisi etas vel infirmitas aut [302] presentia hospitem valde singularium aliud permittat. Nam his rationibus intervenientibus, etiam tunc licitum est eis cum timore Dei vesci carnibus, si ipsi hospites et alii diocesani fideles carnibus vescantur. Sic et feria secunda ac tertia post dominicam Quinquagesime, item die Nativitatis Domini et die Paschae, vel etiam sabbatis que inter Nativitatem

Domini et Purificationem Beate Marie occurrunt, si diocesis catholica usum carniū tunc admittit, rationibus supra dictis intervenientibus carnes in monasterio sicut et alii catholici diocesani edere possunt. Ceterum extra monasterium quilibet monachorum etiam specialia jejunia observantie solvere, et in esu carniū fidelibus catholicis, apud quos est, se conformare potest ad honorem Dei.

24. Provide et diligenter a monachis amputande sunt occasiones excedendi in potu vini, ne ipsi a Deo et rebus divinis per incautum ac superfluum vini potum, vel per crapulam elongentur. Vinum quod eis administratur, tali mensura semper administrandum est, ut utilitati corporis et profectui spirituali [302v] serviat, non autem spiritum extinguat, aut internam libertatem et gratiam prepediat. Non debent procurari, nec etiam temere vel nimis facile admitti convivia excessive sumptuosa et irreligiosa, propter alicujus professionem vel primitias, id est primam missam, nec pro eo quod aliquis qui diu vixit in religione forte desideraret celebrare jubileum. Imo nec ratione talis jubilei tantum religiosus eximendus est ab actionibus conventualibus et laboribus ordinis, sed quisque propter senium vel impotentiam seu quodlibet aliud legitimum impedimentum indiget supportatione sive sit juvenis, sive senex, accipere potest ab abbate misericordiam. Etiam permitti non debet alicui ex monachis conventualibus, abbate excepto, ut certum diem vel dies seu festa per anni circulum eligat aut habeat in quibus biberes vel relaxationes speciales conventui propter illum exhibeantur. Nulla quoque ratione admittendum est, ut monachi juxta morem secularium quorundam, occasione festi Epiphaniarum, vel quacumque alia occasione diem in mensa conventuali propter solemnem recreationem seu [303] solemne spatium intermittatur lectio, regem eligant ad celebrandum convivium. Hec enim et quilibet alie consimiles vane et prave consuetudines monasterii sanctitati minime convenire noscuntur.

25. Hospites honesti, et precipue religiosi cujuscumque ordinis sint, venientes ad monasterium debent omni tempore, quantum fieri potest, benigne et cum charitate recipi, ut per amicam et puram sancte hospitalitatis exhibitionem glorificetur Deus.

26. Abbas potest concedere quod de biennio in biennium quilibet monachus sacerdos visitet parentes et amicos suos: alias istud non est permitendum absque necessitate vel causa multum rationabili, nisi quis forte cum abbate egrediente proficisceretur, vel ad negotia mitteretur, aut nisi abbas specialem gratiam alicui exhibere vellet. Nuptiis et dedicationibus secularibus non licet monachis sub obedientia superioris in monasterio viventibus interesse, nisi forte casu pervenerint ubi ille celebrantur vel certe necessitas seu magna et evidens utilitas exposcat ut illis intersint. Hi qui extra monasterium sunt, summa diligentia sibi attendere debent [303v] ne dictis, factis, gestibus, levitatibus, dissolutionibus atque incompositionibus morum aliquem scandalizent, aut opprobrium sacre religioni faciant. Semper et ubique abstinere debent ab indisciplina audacia et malo exemplo, atque a ludis turbulentis et indecentibus, vel alias ipsis prohibitis. Cavere debet superior ne monachis solatia externarum recreationum vel libertatum amplius vel aliter concedat quam convenit.

27. Nullus post investitionem vel susceptionem habitus monastici mitti facile extra monasterium debet ad discendas litteras vel scientias, nisi locus, in quo habitaturus esset, habeat congregationem secundum exigentiam status monastici laudabiliter viventem. Si aliquis novitius omnino illiteratus fuerit receptus, abbas procurare debet ut talis a magistro religioso vel seculari instituatur in litteris competenter, ut cum ceteris possit suo tempore utiliter vacare seu intendere sacre lectioni. Quod si hoc non curaverit abbas, ubi jam venerit tempus professionis, monachi consentire non debent, ut novitius prorsus illiteratus et non idoneus profi-



teatur. Et abbas non debet admittere, vel suscipere aliquem ad professionem absque consensu totius [304] conventus vel majoris partis ejusdem. Ad evitanda pericula animarum nullus admittatur ad professionem ante annum etatis sue vigesimum. Nullus etiam admittatur ad sacrum presbyteratus ordinem suscipiendum, ante annum etatis sue vigesimum octavum, nisi necessitas compellat aut grandis causa requirat.

28. Religiosi ordines et loca sua in congregatione habere ac tenere debent secundum tempus, quo ipsi ingrediuntur et suscipiuntur ad investitionem, ita ut is qui hodie habitu religionis investitur, precedat illum qui crastina investietur, nisi altiori consilio seu causa multum rationabili abbas aliquando aliud ordinet. Sane qui assumitur ad presidentiam, praecedere debet alios quibus preponitur, etiamsi post eos fuerit investitus; et sacerdotes praecedere debent diaconos, diaconi subdiaconos, subdiaconi non constitutos in sacris ordinibus.

29. Si aliquis superbiat propter locum aut ordinem suum, despiciens inferiores, vel contumeliose eis insultans, superior, sicut judicaverit esse expediens, debet talem dejicere a suo loco et ordine, vel alio modo absque indiscreta dissimulatione districte punire. Similiter qui, [304] deposita humilitate monastica, factis aut verbis, contentiose, superbe ac presumptuose erga superiorem se habuerit, et qui alium humiliter vel pie viventem, aut quodlibet officium seu opus ex obedientia peragentem, appellaverit hypocritam, vel alio modo eum subsannaverit seu irriserit, et qui inter alios malignas discordias ex proposito seminaverit vel alios ad turbationes iniquas, seu ad rebellionem, aut impugnationem sacrae observantiae excitaverit; item qui aliquem convitiis impetere, propriae auctoritate cedere, vel alicui minari aut verba aliqua turpia, inhonesta, scandalosa, irreligiosa, atque a modestia et verecundia monastica prorsus aliena serio vel etiam per jocum proloqui



presumpserit, omnino gravi vindicte subjici debet; si quis heresim tenere, vel aliquem ad hereticum dogma sollicitare non erubuerit, statim separetur ab aliis et in carcere recludatur.

30. Particularem pecuniam sive parvam sive magnam non solum non recipere, sed nec tenere vel petere ab amicis, aut quibuscumque aliis perse vel per alium aliquis attentare debet, nisi permiserit superior. Monacho alibi constituto, ubi superior non est presens, a quo licentia petatur, si ultro offeratur [305] particularis aliqua pecunia, ipse quidem, si periculum scandali non imminet, eam suscipere potest, non tamen extra evidentis necessitatis articulum illam petere debet, nisi precesserit expressus superioris consensus. Quod si oblatam susceperit, omnino superiori manifestare, et eam voluntati ejus committere debet, ubi ipsum superiorem presentem habere potuerit. Et superior vel alius jussu aut permissione superioris illam tenere debet, nec relinquenda est in potestate seu arbitrio illius, cui oblata vel data fuit. Non solum autem pecuniam, sed et quelibet alia magni momenti vel pretii prohibentur monachi ad particulares usus ab amicis vel externis extra necessitatis articulum petere absque superioris permissione, contra cujus consensum nullus monachus potest aliquid retinere. Nulla vero ratione superiori licitum est concedere ut aliquis monachorum suorum aliquid teneat, aut possideat tamquam proprium.

31. Nulli monachorum licet pastoralis cure officium in seculo acceptare, nisi ad hoc pro bono ecclesie sancte evocatus fuerit et summus pontifex permiserit. Non sunt temere alendi nimis multi canes in monasterio, et monachis non est licitum [305v] dare operam venationibus vel se in illis occupare. Et abbas prohibere debet ne pro se vel pro monasterio aliquis ex famulis canes venaticos aut aves venaticas ad venationes et aucupia frequentanda teneat intra septa monasterii. Licet monachi prohibeantur suscipere aliquem ex sacro fonte baptismi, abbas tamen, dum a singularibus personis

rogatur, solet nonnunquam pro bono charitatis et pacis acquiescere, ita tamen ut neque compatrem, neque commatrem appellet parentes prolis a se suscepte. Etiam abbas ab antiquo benedicit corporalia, et quelibet vestimenta, lintea ac vasa ecclesiastica, preter calicem et patenam.

32. Quando per electionem providendum est monasterio de abbate, congregatio debet eligere virum etatis legitime, moribus gravem, non penitus illiteratum, professum in sacris ordinibus constitutum, et alias idoneum qui ad tale officium assumi et ipsum exsequi possit. Sive autem per scrutinium, sive compromissum fiat canonica abbatis electio, electores antequam procedant ad electionem, debent confiteri, communicare, et prestare juramentum, manu super librum sacrorum Evangeliorum posita, in hunc modum, [306] videlicet: *«Ego talis juro et promitto omnipotenti Deo ac talibus sanctis hujus monasterii patronis illum eligere quem credam futurum ecclesie in spiritualibus et temporalibus utiliore, nec illi vocem dare, quem verisimiliter scivero promissione aut datione alicujus rei temporalis, seu prece per se aut per alium interposita aut alias qualitercumque directe, vel indirecte pro se electionem procurare, ita me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia»*. Et propterea quando ipsa canonica abbatis electio fit per viam scrutinii, si servatis premissis et aliis servandis, vota omnium non concordant in unum, sed dividuntur in plures, is in quem pars capitularium vocem in electione habentium major numero consenserit, si talis est qui eligi possit, merito censeri debet esse electus a majore et saniori parte, ita ut ad infinita difficultatum impedimenta vitanda, non sit ulterius necesse exquirere seu facere collationem, quis eorum qui electi fuerunt, sit majoris meriti, vel que pars eligentium habuerit inter eligendum meliorem zelum. Ad electionem abbatis faciendam, non est necesse vocare illos absentes monachos, qui commode [306v] et absque singulari detrimento vel gravamine monasterii seu congregationis vocari non-

possunt, et qui in locis ultra duas dietas a monasterio distantibus existunt. Non professi, et professi non constituti saltem in ordine subdiaconatus, vocem non habent in electione abbatis.

33. Abbas, prior et supprior ejusdem monasterii solícite cavere tenentur, quisque pro exigentia officii sui, ne per ipsorum negligentiam, regularis disciplina in aliquo diminuatur. Sane eorum specialiter interest procurare, ut divinum officium, tam nocturnum quam diurnum, et quidquid conventualiter cantari aut legi debet, decenter, monastice et perfecte cum convenientibus punctis seu respirationibus et absque irreligiosa verborum aut sillabarum precipitatione, omni tempore cantetur et legatur; et ut in locis regularibus debita quies, tranquillitas atque disciplina semper servetur utque omnes de congregatione ob omni peculii vel proprietatis labe, ab omni potationum commessationumque excessu, ab omni dissolutionum et levitatum indecentia alieni, spiritualiter [307] et exemplariter, juxta status monastici exigentiam converentur, et nullatenus recedant ab honestate, modestia et religiositate, puritate et perfectione, que in regula ac statutis continentur; sed omnia ad sanctam observantiam spectantia, magna diligentia ubique retinere satagant, et cerimonias monasticas in divinis, non singuli diversimodo, sed omnes uniformiter sicut convenit custodiant.

34. Abbas et tota congregatio in omnibus se sanctae matris ecclesie correctioni, sedisque apostolice directioni ac judicio humili et obediens cordis inclinatione semper submittere debent et submitunt per nos approbari. Quare pro parte moderni abbatis nobis fuit humiliter supplicatum, ut eidem vivendi modo robur apostolice confirmationis adjicere, aliasque in premissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui monasteriorum quorumlibet, et personarum in illis Domino famulantium salubrem directionem et prosperum successum sinceris desideramus affectibus, hujusmodi supplicationibus incli-

nati predictum vivendi modum, ac omnia et singula alia in illius tenore hujusmodi contenta, apostolica auctoritate tenore presentium, ex certa scientia, approbamus et confirmamus, ac plena roboris firmitate subsistere, suosque plenarios effectus sortiri [307v], et ab omnibus quos illa concernunt, perpetuo inviolabiliter observari debere, sicque per quoscumque iudices et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores in quavis causa et instantia judicari et definiri debere, ac si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Nec non prefato moderno et pro tempore existenti ipsius monasterii abbati, ut, per se vel suos in suo monasterio vices gerentes, omnes et singulos tam professos quam non professos monachos predicti monasterii, ac alias quascumque personas conventuales, spirituali ipsius abbatis jurisdictioni subjectas ab omnibus et singulis eorum peccatis, criminibus et delictis, ac quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et penis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, etiam dicte sedi reservatis, non tamen hereseos, de qua quis sententialiter condemnatus fuerit, conspirationis, vel manifeste inobedientie seu rebellionis in Romanum pontificem pro tempore existentem, aut Sedem eandem, falsificationis bullarum aut litterarum apostolicarum, vel delationis armorum et aliorum prohibitorum ad partes infidelium, quoties opus fuerit, in foro conscientie tantum, absolvere, et eis pro commissis [308] penitentiam salutarem injungere, necnon cum monachis et aliis, et, ut prefertur, subjectis super quibuscumque irregularitatibus ex quovis excessu, etiam per simoniam ante vel post religionis ingressum contractis dispensare, ac pro se presbyterum idoneum regularem vel secularem, qui eum ab ejus peccatis, criminibus et delictis ac sententiis, censuris et penis predictis etiam ut praefertur reservatis, non tamen casibus



supra exceptis, quoties opus fuerit, in foro conscientie tantum, absolvat, ac sibi pro commissis debitam penitentiam salutarem injungat, nec non secum super irregularitatibus predictis ut prefertur dispenset, ac cum eodem abbate omnia que ipse cum monachis suis predictis quoad forum poli facere et exercere potest, faciat et exerceat, eligere possit. Quodque tempore interdicti ordinaria auctoritate promulgati, liceat monachis et aliis personis conventualibus, ecclesiastice ipsius abbatis jurisdictioni subditis, nec non eorum domesticis, qui ejusmodi interdicto causam non dederint, in suis et aliorum ad que devenerint locis tali interdicto suppositis, missas et alia quelibet divina officia, clausis januis, excommunicatis et interdictis prorsus exclusis, non pulsatis campanis, et submissa voce celebrare, et dum ab aliis celebrabuntur interesse, et ecclesiastica sacramenta recipere et si [308v] eos inibi decedere contingat, eorum cadavera ecclesiastice sepulture tradi possint dicta auctoritate apostolica, tenore presentium de speciali gratia concedimus et indulgemus.

Et insuper quod nullus episcopus vel archiepiscopus aut sedis prefate legatus, etiam de latere, celebrationem divinatorum in ecclesia dicti monasterii suspendere possit. Quodque de cetero monachi, qui communem et approbatam ipsius monasterii reformationem per expressum consensum non acceptaverint, antequam illam acceptent, in electione abbatis ejusdem monasterii pro tempore facienda, aut in quibuscumque aliis tractatibus capitularibus, vocem necessario non habeant, ab aliis tamen monachis qui reformationem predictam acceptaverint, debitis charitate, honore et reverentia tractentur, illisque debitus ordinis locus, dum cum ipsis erunt, concedatur, auctoritate apostolica et tenore praedictis perpetuo statuimus et ordinamus, non obstantibus apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non monasterii et ordinis predictorum juramento,



confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli [ergo hominum liceat, hanc paginam nostre] approbationis, confirmationis, decreti concessionis, indulti, statuti, et ordinationis infringere [vel ei ausu temerario contraire]. Si quis autem [hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum].

Datum Rome, apud Sanctum Petrum, anno [309] incarnationis Dominice millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, sexto idus aprilis, pontificatus nostri anno undecimo.

## II.

### EPISTOLA D. SERVATII A STRATIS ABBATI LAETIENSI DIRECTA

1545, 30 octobris

Admodum Reverendo in Christo patri ac domino D. Ludovico Blosio, Laetiensis monasterii abbati dignissimo.

Reverende in Christo pater. Ego remitto expeditionem negotii vestri, Bullam videlicet Apostolicam. Cupiebatis ut volumen statutorum vestrorum, quorum approbationem reverendissimus piae memoriae Sanctae Crucis Franciscus Quignonius aliquando procuraverat, simul remitteretur ad vos, et tamen non est remissum, quia debuit hic retineri. Sic enim visum fuit reverendissimis D. deputatis, inter quos praecipuus fuit Reverendissimus dominus meus. Et etiam ex litteris vestris constat exemplaria haberi in monasterio vestro. Scribitis enim eadem statuta singulis annis apud vos in loco capitulari coram conventu perlegi. Processum vero

fuit in praefato negotio vestro in hunc modum. Reverendissimi domini deputati judicaverunt conveniens et expediens esse ut simul cum privilegiis, quae sub simplici signatura a Sanctissimo nuper obtinueratis, breve quoddam summarium statutorum vestrorum, praecipueque illa quae in ipso volumine eorundem statutorum aliquo modo videri poterant indigere expressa gratia ipsius Sanctissimi, redigeretur in unam supplicationem, et ab eodem Sanctissimo denuo [f. 110v] confirmarentur non solum per simplicem signaturam sed etiam per propriam ejus bullam. Voluerunt etiam ut pauca quaedam alia a se ex sacris canonibus vel aliunde assumpta tanquam multum congrua ascriberentur, quatenus ipsa quoque pro statutis expressis perpetuoque servandis in congregatione vestra habeantur sicut et caetera omnia quae in prememorato volumine expressa sunt. Caeterum est unus locus in ipsa bulla, ubi per inconsiderationem scriptoris aliquot dictiones alio ordine positae sunt, quam debeant poni. Nam hoc modo verba bullae habent: particularem pecuniam sive parvam sive magnam non solum non recipere «vel tenere» sed nec (petere), tenere vel petere ab amicis etc. Debebat autem scriptor sic scribere: particularem pecuniam etc. solum non recipere «vel tenere» sed nec «petere», ab amicis etc. quia suppositio exhibita Summo pontifici sic habebat, et ita habent etiam statuta vestra. De his quae notata in chartula paucis abhinc diebus misistis, reverendissimi domini deputati habent idem iudicium, quod scribitis istis habere aliquos probos et doctos viros asserentes locum illum statutorum vestrorum (qui in bulla positus est) ubi dicitur ut nullus mittatur ad sacrum praesbyteratus ordinem suscipiendum ante annum aetatis suae vigesimum octavum nisi necessitas compellat aut grandis causa requirat, sic intelligi et posse et debere, si congregatio indigeat pluribus sacerdotibus, aut si omnes sacerdotes monasterii seu major pars eorum, alienae dignae personae petant ab abbate pro evidenti bono spirituali, ut quis ad [111]

sacerdotii ordinem suscipiendum citius mittatur vel si ipse abbas judicet evidens bonum spirituale id exposcere, aut videat aliquem non sacerdotem esse talem quem conveniat instituere in priorem vel in magistrum juvenum aut sacristam e'c. Et propter ejusmodi causas licitum est mittere juvenem ad ordinem praesbyterii suscipiendum postquam pervenerit ad eam aetatem in qua consuevit aliis in ecclesia Dei modo dari ille ordo, quae declaratoria verba fuissent addita in bulla, si praedictam chartulam recepissemus antequam supplicatio, ex qua ipsa bulla formata est, exhiberetur Sanctissimo et signaretur. Nulla tamen est in ea re dubietas vel difficultas. Haec reverendissimus dominus meus et caeteri collegae ejus voluerunt significari paternitati vestrae, commendantes se vestris et vestrorum orationibus exhortantesque vos ut viriliter agatis et confortemini, ac sectando puras sanctae religionis semitas aliis per sanctae conversationis exempla lumen praebentibus recepturi mercedem operum et laborum vestrorum fidelium vitam aeternam Ego vero licet infirmitate detentus libenter suscepi curam negotii vestri, paratus Vestrae Dominationi inservire in quibuscumque aliis. Bene valeat eadem R(everenda) P(aternitas) vestra, cui me totum offero dedicoque.

Romae tertio kalendas novembris anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo quinto.

D. Protector Ordinis vestri et caeteri Domini deputati voluerunt fieri in supplicatione ac deinde in bulla expressam mentionem de caeremoniis monasticis, ut omnes de congregatione vestra tam praesenti quam futuro in perpetuum studeant se conformare illis caeremoniis quae apud vos habentur redactae in scriptis, ne diversitas rituum diversitatem et divisionem pariat animorum, et ne parum aedificentur in bono qui talem diversitatem in una et eadem religiosorum domo vident. Rursum valeat R(everenda) P(aternitas) Vestra.

Vester amicus et servulus

SERVATIUS A STRATI S

# INDEX

---

INTRODUCTIO . . . . .	pag. VII
LIBER STATUTORUM MONASTERII LAE- TIENSIS . . . . .	» 1
CAP. I. Commendatio vitae monasticae .	» 3
CAP. II. Quae diligentia et disciplina circa divinum officium servari debeat .	» 4
CAP. III. De diversitate festivitatum .	» 9
CAP. IV. De officio canonico et officio de- functorum atque septem psalmis pe- nitentialibus . . . . .	» 11
CAP. V. De his qui privatim legunt horas canonicas et de officio parvarum horarum . . . . .	» 14
CAP. VI. De consecratione salis et aquae ac similium et de processionibus .	» 16
CAP. VII. De missis et communione .	» 17
CAP. VIII. De confessione et absolutione	» 28
CAP. IX. De monitionibus in loco capitu- lari faciendis . . . . .	» 37
CAP. X. De correctionibus culparum .	» 39
CAP. XI. Quomodo misericordia fiat alicui fratri . . . . .	» 43
CAP. XII. De silentio, locutione et locis regularibus . . . . .	» 44
CAP. XIII. Qui externi aut seculares loca conventualia ingredi permittuntur	» 46
CAP. XIV. De refectionibus, jejuniis et abstinentiis fratrum . . . . .	» 49
CAP. XV. De quoti lianis sacrae lectionis exercitiis et labore manuum . .	» 58


CAP. XVI. Quo ordine actiones conventuales omni tempore servantur . . . . .	pag.	63
CAP. XVII. De liberioribus colloquiis, spatiamenti vel recreationibus congregationis . . . . .	»	65
CAP. XVIII. De his qui extra monasterium proficiscuntur . . . . .	»	69
CAP. XIX. De dormitorio, cellis, calefactorio et rasura fratrum . . . . .	«	71
CAP. XX. De vestimentis et caeteris necessitatibus fratrum . . . . .	»	75
CAP. XXI. De vitio proprietatis fugiendo . . . . .	»	80
CAP. XXII. De his quibus res vel officia in congregatione committuntur et de ipsis monasterii facultatibus . . . . .	»	82
CAP. XXIII. De communi arca, sex custodibus et tractatibus communibus . . . . .	»	86
CAP. XXIV. De diversis constitutionibus quae a fratribus observari debent . . . . .	»	89
CAP. XXV. De suscipiendis, investiendis et instituendis novitiis . . . . .	»	92
CAP. XXVI. De professione novitiorum et primitiis novellorum sacerdotum . . . . .	»	99
CAP. XXVII. De canonica electione abbatis et ejusdem confirmatione . . . . .	»	104
CAP. XXVIII. De officio abbatis, prioris et supprioris . . . . .	»	112
CAP. XXIX. De infirmis fratribus . . . . .	«	116
CAP. XXX. De extrema unctione et agone infirmi fratris . . . . .	»	119
CAP. XXXI. Quid mortuo fratre fieri et quomodo corpus sepeliri debeat . . . . .	»	126
CAP. XXXII. Paterna exhortatio . . . . .	»	130


APPENDICES :

I. - Bulla Pauli III qua Statuta Blosiana approbantur (1545, 8 aprilis). . . . .	»	135
II. - Epistola D. Servatii a Stratis abbati Laetiensi directa (1545, 30 octobris). . . . .	»	158









10. Ven. LUDOVICO BLOSIUS, Abbas Laetiensis O. S. B. — **Statuta Monastica** (n. II. Seriei Historico-Hagiographicae). Nunc primum edita a R. P. D. URSMARO BERLIÈRE O. S. B., Monacho ad S. Benedictum de Maredsous. L. 15.00

*Non si dà corso alle commissioni non accompagnate dal relativo importo, cui deve essere unito il 10 per 100 per le spese postali. Chi desidera la spedizione raccomandata aggiunge altri Cent. 50.*

#### **SOTTO STAMPA**

11. Don COLOMBA MARMION, Abate di Maredsous (Belgio). — **Cristo Ideale del Monaco.**

#### **DI PROSSIMA PUBBLICAZIONE**

La continuazione delle **Esortazioni ai Monaci** del Tritemio tradotte dal R. P. D. Giovanni Covino O. S. B.

#### **IN PREPARAZIONE**

Don PIETRO DE PUNIET, Monaco della Congr. Solesmense O. S. B. — **Lodovico Blosio**, sua vita, opere e dottrina. Ed altri volumi e opuscoli.

---

La Direzione degli SCRITTI MONASTICI ha fondato un

### **“ Comitato di Patronato ,,**

delle sue pubblicazioni, i cui membri si dividono in tre categorie:

- 1) I Membri **Fondatori** offrono la somma di almeno 300 lire.
  - 2) I Membri **Protettori** offrono ogni anno la somma di 50 lire oppure danno una sola volta 200 lire.
  - 3) I Membri **Donatori** offrono ogni anno 20 lire, o 100 lire in una sola volta.
- I Membri Fondatori e Protettori riceveranno GRATIS i volumi pubblicati DOPO la loro sottoscrizione. Notificare le adesioni alla:

**Direzione degli SCRITTI MONASTICI**  
**Badia di Praglia (Bressio) - Padova**

---

### **AVVERTENZE**

1. - La Collezione degli Scritti Monastici è sostenuta dalle offerte degli amici dell'Ordine Monastico. Tutti i benefici rimanenti dopo le spese d'Amministrazione e di propaganda vengono impiegati per stampare nuove opere. Chi compera **12 copie d'uno stesso libro** della Collezione, avrà il **25 per cento di ribasso**; chi compera **6 copie** avrà il **10 per cento**.
2. - Le spedizioni verranno eseguite solo mediante **rimessa anticipata**. **La cartolina vaglia** è la più sbrigativa e più pratica. - I libri si spediscono per posta semplice, o per pacchi postali quando il peso lo comporti. **Le spese di porto sono a carico del committente e la merce viaggia a rischio e pericolo del medesimo**. Chi desidera il pacco raccomandato unisca L. 060 in più al valore del vaglia.
3. - Per informazioni, ecc., scrivere **sempre cartolina con risposta pagata**. Non si terrà conto delle richieste non munite di risposta affrancata. Indirizzare la corrispondenza, le ordinazioni, i vaglia alla:

**Direzione degli SCRITTI MONASTICI**  
**BADIA DI PRAGLIA (Bressio - Padova)**

4. - Le persone e comunità che intendono dare alla stampa qualche opera **d'Indole Monastica** possono rivolgersi alla Direzione degli **Scritti Monastici**.
5. - La Direzione degli Scritti Monastici prega le **Casa editrici** di spedire periodicamente il loro **catalogo**.







